



# **Dissertatio medica inauguralis continens quaedam de rheumatismo articulari acuto variisque ejus curandi methodis**

<https://hdl.handle.net/1874/313272>

9

PIAE MEMORIAE

OPTIMI PATRIS

SACRUM.



9

DISSERTATIO INAUGURALIS  
DE  
RHEUMATISMO ARTICULARI ACUTO  
VARIISQUE EJUS CURANDI  
METHODIS.



DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS  
CONTINENS QUaedam

DE

RHEUMATISMO ARTICULARI ACUTO  
VARIISQUE EJUS CURANDI  
METHODIS,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,  
EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI  
HENRICI EGBERTI VINKE,

THEOL. DOCT. ET PROF. ORD.,

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO,

**Pro Gradu Doctoratus,**

SUMMISQUE IN

MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

CORNELIUS JACOBUS PHILIPPUS WINKLER,

*Vianensis.*

A. D. XXVIII M. Junii, anni MDCCCLIV, hora V.

---

VIANAE,

APUD G. S. A. STUART.

MDCCCLIV.



## INTRODUCTIO.

---

Non dubito fore quin plerique, ratione habita eorum, quae recentiori imprimis tempore a Viris maxime habendis de rheumatismo scripta sunt, dissertationem de rheumatismo articulari acuto superfluum dijudicent. Quenam imo nova facta ille, cui raro occasio hujus morbi observandi data fuit, afferret, quanam de natura, causis, diagnosi, aliisque quae non ab aliis jam dicta sunt? Denegandum tamen non est, minimam etiam observationem magni interesse in morbo saepe male dignoto, vel saepius minoris momenti habito, cujus autem eventus tam tristes esse possunt.

Si igitur novitius in lato rheumatismi articularis



campo non multa invenit, de quibus illi litari licet, pars tamen remanet, quod attinet ad curationem quae a plurimis scriptoribus mihi nimis neglecta videtur, pars me iudice maximi momenti.

Saepius mihi jam antea, de rheumatismo articulari legenti, quaestionem proposueram quaenam esset causa, quod in morbo adeo frequenti methodi curandi tam variae sint ac tantopere a se invicem discrepent? An variae illae curandi methodi omnes utiles sunt? Pluresque alias quaestiones de hac materie movi.

Talem methodorum differentiam explicare conabar ex constitutione epidemica pro tempore observationum differente, vel ex propria aegrorum constitutione, sed omnibus bene perpensis brevi patebat, haecce quidem momenta aliquid interesse in eligenda cura illamque posse modificare, non autem causas haberi posse methodorum ita inter se differentium, ideoque res mihi obscura remanebat. Quum autem quaerens materiam, de qua dissertationem conscriberem, mihi proponeretur, ut de rheumatismo articulari acuto agerem, pars maximi momenti mihi in animum venit: » Disquisitio variarum curandi methodorum, » ut forsitan causam discriminis ex illis exponerem.

In sequentibus igitur varias proponam methodos, illarumque efficiam comparisonem additis conclusionibus ex illis deductis, quantumpote historiis morborum illustratis.

Quum autem ignota morbi natura et variae de illa opiniones praecipua causa haberi possint methodorum differentiae, necesse est ut primum agam de natura morbi et rectam, si possit, afferam definitionem de rheumate et rheumatismo articulari acuto; tum etiam in eadem parte investigationem mihi proposui, num varii Auctores varios morbos sub nomine *Rheuma* conjunxerint. Dein de variis agam curandi methodis, cum historiis morborum huc pertinentibus. Tertio tandem conclusiones quasdam therapeuticas afferre conabor.

## PARS PATHOLOGICA.

---

### § 1.

#### DE RHEUMATISMO IN GENERE.

---

In scholis veterum rheumatismus et catarrhus tamquam morbi maxime affines proponebantur et materia morbosa communis (acrimonia rheumatica) alterutri subesse credebatur; sedem materia ista morbosa habebat in cerebro, unde ad organa inferius posita sese transferebat, variasque illic affectiones morbosas efficiebat. Hac de causa jubet regimen Salernitanum: »Si fluat ad pectus dicatur Rheuma catarrhus. »si ad fauces Bronchas, si ad nares esto Coryza.» Hinc forsitan nomen *fluxiones* (Germ. *Flüsse*, Belg. *Zinkings*), quo hodierno etiam tempore pro rheumatismo et catarrho utimur, originem petit.

Non solum autem confusio adfuit rheumatismum inter et catarrhum, sed imprimis cum arthritide rheumatismus saepe confundebatur. CULLENIIUS primus distinctionem inter ultimos morbos strenue et accurate ostendit; recentiores practici minus naturam morbi, magis sedem investigarant.

Schola physiologico-historica ante duo fere decennia de natura hujus morbi plura agebat et hinc theoria electrica, cujus SCHÖNLEIN et EISENMANN auctores sunt, originem ducit.

Majoris momenti investigationes Gallo-Franci instituerunt, et imprimis BOUILLAUD multa, morbum illustrare valentia, attulit atque nisus investigationibus suis pathologico-anatomicis coexistentiam morborum cordis cum rheumatismo articulari acuto probare conatus est. Ex hac fonte anatomico-pathologico nonnulli etiam rheumatismum affectionem medullae spinalis ejusque membranarum existimant.

Nonobstantibus omnibus illis conaminibus ad veram rheumatismi naturam explicandam, hodierno etiam tempore maxima hac de re confusio regnat. Dolores enim, sede et natura inter se magnopere differentes, inaccurate saepe rheumatismi nomine insigniuntur; sic rheumatici dolores a multis omnes nominantur illi, qui vel articulos vel artus occupant, neque conjuncti adveniunt cum aliis inflammationis symptomatibus; saepe etiam eo nomine salutantur dolores vagi in organis internis. Plurimae autem il-



lae affectiones, rheumatismi nomine insignitae, potius ad neuralgias sunt referendae, ut plurimum ex affectione medullae spinalis originem ducentes. Denegari quidem nequit nexum causalem adesse inter rheumatismum et affectiones illas spinales; quoad rheumatismum articulare autem hic forsitam *κατ' ἐξοχήν* rheumatismi nomine insigniri meretur.

Alii hoc tempore rheumatismum existimant inflammationem vel legitimam, vel dyscrasiâ ortam; alii contra morbum specificum sui generis habent; alii tandem docent rheumatismum nunc characterem induere inflammatorium, nunc sine inflammatione decurrere.

In praesenti scientiae conditione opinionem edere audax esset; hoc autem jure statui posse videtur, conditionem dyscraticam rheumatismo subesse. Sequentia sunt hujus opinionis argumenta:

Productiones morbosae rheumaticae variis locis vel eodem tempore vel successive advenientes.

Magna convenientia cum arthritide, morbisque scorbuticis ac pyaemicis, in musculis vel articulis sedem habentibus.

Reactio acida secretorum, sudoris et urinae.

Cachexia pedissequa et actio therapeutica multorum medicaminum antirheumaticorum. —

Pro sede morbi imprimis distinguuntur Rheum. muscularis et Rheum. articularis. Illa sedem habet in tela conjunctiva musculos circumdante et inter fasciculos

musculares penetrante; de Rheum. articulari acuto in sequentibus paragraphis sermo erit.

§ 2.

DE RHEUMATISMO ARTICULARI ACUTO.

Haec rheumatismi species omnium maxime cognita est, studioque dignissima; multum convenit cum arthritide; hac de causa plurimum antiquioris temporis Auctorum confusio in horum morborum diagnosi. —

*a. Morbi actiologia.* — Rheumatismi uti omnium morborum praedispositio constat; absente illa morbus non aut raro saltem evolvitur, solaque illa praedispositio in nonnullis casibus, nulla causa occasionali accedente ad morbum producendum sufficere videtur. Modificatur aetate, sexu, temperamento, climate, tempestatibus, vitae genere, aliisque.

*Aetas* infantilis a morbo immunis esse videtur et raro etiam in pueris aetate provectoribus obvenit; saepissime supervenit adultis, imprimis inter annum 20<sup>um</sup> et 50<sup>um</sup>; post 60<sup>um</sup> annum rarius observatur, multumque decrescit praedispositio.

*Sexus* aliquam non autem notabilem partem habere videtur in illa praedispositione modificanda; numerus aegrorum sexus masculini plerumque major quam feminini est; causa autem verosimiliter quaerenda in potentiis nocivis, quibus sexus masculinus magis

quam sequior sexus obnoxius est. Doct. MACARIO (1) contrarium contendit et in 31 aegris 20 feminas 11 viros observavit, quod convenit cum opinione a HOFFMANNO edita, feminas plus quam viros rheumatismo corripit. In omni casu, ex ejus opinione illa observatio multum valeret ad naturam seroso-lymphaticam rheumatismi probandam.

*Temperamentum* inter efficaciores causas pertinet; sanguineum praedisponere affirmat Clar. CHOMEL (2) ex septuaginta rheumatismi, quae observavit, exemplis, quinquaginta quatuor aegros temperamento sanguineo fuisse praeditos narrans; BOUILLAUD insuper homines temperamenti sanguineo-lymphatici cum cute alba, pellucida praedispositos habet. In genere illi, qui antea optima fructi sunt sanitate, vehementius corripuntur, forsitan quia potentius nocivis magis sese exponunt.

Acutae hujus morbi formae frequentius occurrunt in pauperibus quam in ditioribus, procul dubio quia causae occasionales frequentius et vehementius in illos agunt.

Ex observationibus Doct. MACARIO (3) constat tempus hyemale et autumnale maxime esse proprium ad provocandum rheumatismum articulare acutum. Mensibus Nov. et Dec. plurimos observavit casus, quod

---

(1) Ann. méd. de la Flandre occid. 2<sup>me</sup> Année. Du rheumatisme.

(2) Essai sur le Rhumatisme. Paris 1837, p. 460.

(3) l. c.



convenit cum observatione antea jam facta frigus humidum fontem esse uberrimum affectionum rheumaticarum. Sic praesertim corripuntur illi, qui domos novas habitant, vel positas in locis declivibus, humidis, paludosis.

Quod attinet ad causas occasionales, inter frequentissimas recenseri meretur frigus humidum, subitaneum corporis calentis et sudantis refrigerium; hinc subitus morbi ortus a subitis temperaturae mutationibus, vel si vestes sudore madefactae ad corpus retinentur, vel refrigerio corporis in herba humida jacentis, multisque aliis potentiis nocentibus.

BOULLAUD autem frigoris vim pluris, quam par est, fecisse aliasque causas nimis neglexisse videtur; nullo enim jure alias a diversis Auctoribus relatas causas prorsus denegare licet, uti sunt: mensium, haemorrhoidum aliarumque haemorrhagiarum habitualium suppressio, exanthema retropulsum, subita cujusdam secretionis cessatio, manuum pedumve sudoris habitualis suppressio, aliaeque. —

*b. Symptomatologia.* — Praenuntiatur plerumque rheumatismus articularis acutus symptomatibus generalibus, febrilibus, quae saepe per aliquot dies symptomatibus localibus in articulis praecedunt: nonnumquam symptomata localia et generalia eodem tempore adveniunt; raris tandem casibus affectiones locales febris aliisque reactionis signis praecedunt.

Modificatur morbi vehementia pro numero articu-



lationum affectarum; sic morbus nunc sine febre decurrit, nunc cum vehementissimis reactionis signis, quae tristissimam ac dolorificam morbi effigiem praebent.

Dolor aegrum maxime excruciat: quamvis gradu differat, semper vehementissimus est noctuque vehementior quam de die; locum saepe mutat variasque articulationes successive afficit; nunc pulsans est aut gravativus, nunc pungens aut lancinans, nonnumquam remittit, brevi nova vehementia rediturus. Quies solamen affert, minimus articularum affectorum motus dolorem excitat et acerbat.

Praeter dolorem semper praesentem, tumor plerumque adest, productum tum sanguine majori copia in partem affectam affluente et exsudato vulgo seroso, interdum magis plastico, tribuendo processui inflammatorio (vel primario, vel secundo), tum abnormi membranae synovialis secretioni.

In genu articulatione imprimis observatur hoc phaenomenon, quo tamen nec aliae articulationes immunes sunt; si vero articulatio profundius sita est multisque partibus mollibus circumdata, seri effusi praesentia saepe difficilius dignoscenda.

Decrescentibus congestionis symptomatibus tumor antea resistens et elasticus mollis evadit et oedematosus, cutis articulum tegens mollis fit, nitescens atque transparentis, ita ut venas coeruleas visu os-

tendat. Uno eodemque gradu cum dolore ac tumore calor procedit in articulo.

Rubor raro observatur, et ubi obvenit roseus est uti in erythemate; unde nonnulli dermatologi *roseolam rheumaticam* illum nuncuparunt. Digito prementi cedit, immediate revenit pressione sublata.

Symptomata generalia primum incipiunt ab horripilationibus ac feбри (feбри rheumatica). Haec intensior vulgo est pro numero articulationum affectarum et typum offert irregularem remittentem vel ut plurimum intermittentem; ejus exacerbationes tempore definito non adveniunt, neque vespertinae vulgo sunt neque remissiones matutinae; utraque absque regula aggređiuntur (WUNDERLICH). Secundum plurimos Auctores pulsus fortis est, plenus et frequens, 80—100 ictus plerumque numerat, sed etiam ad 120 adscendere potest. (1)

Cutis plerumque calida est et sudore tecta male olente et acido, saepe exanthema, miliarium vel sudaminum formam prae se ferens, erumpit. Decrescunt febris aliaque reactionis symptomata una cum aliis symptomatibus localibus, nonnumquam autem, doloribus rheumaticis cessantibus, perdurat febris. Secundum BOUILLAUD hoc symptoma cordis affectionem denotat, sive endocardii, sive pericardii, seu

---

(1) MACARIO autem de 31 quos observavit casibus in sex pulsum invenit parvum et debilem, in quatuor tardum extra modum, quamvis alia symptomata febrilia valde evoluta essent.

utriusque phlogosin. Cephalalgia et delirium saepe ad-  
sunt, non autem sunt symptomata necessaria, quod  
etiam de gastrica affectione valet. Sitis intensa  
est, ciborum appetitus deletus, urina parca, turbida,  
sedimentum quidem deponit, non autem arenosum  
uti arthriticorum.

Magnus casuum numerus requiritur ut efficiatur  
quaenam articulationes saepius, quaenam minus fre-  
quenter primarie afficiantur. Secundum multos ob-  
servatores morbus frequentissime primus obvenit in  
genu articulatione; dein coxae, cubiti et humeri  
articulationes infestat. Articulationes vero vertebra-  
les, claviculares, manus et pedis raro afficiuntur.  
MONNERET vero ex numero 93 casuum rheumatismi  
articularis acuti effecit rheumatismum primum genu  
et pedis articulos afficere, et ultimum remanere in  
manus et genu articulationibus.

Sedes affectionis partim habetur membrana syno-  
vialis articuli, partim tela conjunctiva, ligamen-  
tum capsulare aliaque articulationis ligamenta cir-  
cumdans.

*c. Duratio.* — Rheumatismi articularis acuti duratio  
valde diversa est et uti plurimorum morborum nunquam  
fortasse certo definiri poterit, ob magnum rerum su-  
pervenientium numerum, ab adhibita curatione, mor-  
bi vehementia, aliorum organorum affectionibus simul  
vel deinceps orti aliisque pendentium; statui autem  
potest morbi durationem 14 dierum ad tres menses



esse, quamvis in ultimo casu morbus chronicam jam induerit formam.

BOUILLAUD durationem pendere a curatione adhibita, suaque methodo, venaesectionibus repetitis scilicet (*formule des saignées coup sur coup*) morbi durationem ad 7 — 14 dies reduci opinatur. CHOMEL morbi durationem 21 dierum statuit, alii longius alii brevius temporis spatium ponunt. Brevisimum temporis intervallum a practicis allatum de 3 ad 4 dies est.

MACARIO casum refert intra nychthemerum curatum, alium intra biduum, alii intra triduum restitutum, dum idem observavit casus soli naturæ relictos saepius per tres pluresve menses protrahi.

*d. Complicationes et metastases.* — Res maximi momenti est complicatio rheumatismi acuti articularis cum morbis cordis phlogisticis; quam vero complicationem a metastasi probe distinguendam vix est quod moneamus. Antiquiores Scriptores illam non fecerant distinctionem et solum de metastasi locuti sunt.

Complicationes vocantur morbi intercurrentes, qui rheumatismo superveniunt, vel, ut aliis verbis utar, extensio affectionis rheumaticae ad aliud quoddam organon antea sanum. Metastasis e contra vel retrocessio vocatur subita symptomatum rheumaticorum cessatio, alio morbo interno vehementissime apparente. Metastasis ergo vera est revulsio morbosa, dum complicatio nihil aliud est quam morbi primarii ex-

tensio ad organa interna, vel novi morbi ortus, jam existenti superveniens.

Rheumatismi articularis acuti coincidentia cum endocarditide vel pericarditide vel endo-pericarditide recentiori tempore magnas egit partes. Quum cesserint dolores rheumatici, pergente nihilominus febre, ex BOULLAUDII opinione certi esse possumus de endocarditide, vel pericarditide, vel endo-pericarditide; insuper docet Vir ille celeberrimus illam coincidentiam esse regulam, non vero exceptionem, quod probare studet 114 rheum. art. acut. casibus, accurate admodum observatis, quorum 74 graviores et 40 leviores. De 74 gravioribus in 64 simul cum articularum affectione endocarditis vel endo-pericarditis aderat, in tribus dubia illa visa est; de 40 levioribus autem in uno tantum de morbi cordis existentia constabat.

Ut opinionem suam magis adhuc probaret, idem Auctor narrat, accurato instituto examini satis patuisse, ex trecentis aegris, organico cordis vitio, endocarditidi vel endo-pericarditidi insecuto, laborantibus, plus quam dimidiam partem antea per brevius longiusve temporis spatium rheumatismo articulari acuto fuisse correptam.

Aliae vero, a CHOMEL, ROSTAN, aliisque factae observationes, cum illis non conveniunt, et quamvis non sit denegandum complicationem cum morbis cordis nonnumquam, quin non raro, obviam esse, haec tamen non pro regula haberi potest, cum sta-

tisticis insuper tabulis probatum videtur, illam complicationem apud septimam tantum aegrogantium partem observari. Memoranda sunt quae CANSTATT (1) de hac lege dicit: »Hiemit stimmt meine Erfahrung nicht überein, und ich muss annehmen, »dass dort wo Peri- und Endocarditis so häufig in Begleitung des Rheumatismus acutus »angetroffen werden, entweder besondere, endemische Verhältnisse mit im Spiele sind, oder »dass die therapeutische Methode nicht ohne Antheil an dieser nicht allerwärts beobachteten Coincidenz sei.»

Unde vero opiniones ita discrepantes? Quo fit, ut BOULLAUD illam complicationem fere semper inveniit, dum alii, etsi assidue illam quaerentes, eam raro tantum observaverint?

An forte BOULLAUD, uti tam saepe fit, saepius viderit ea, quae videre cupiebat?

An revera ab illo commendatae sanguinis detractioes repetitae, anaemiam ac hydraemiam producentes, abnormitatis cordis sonorum atque persistentis pulsuum frequentiae causa fuerunt? Cum multis in ultimam sententiam inclinarem.

Fieri quidem potest, eos qui sanguinis detractioes non aut raro adhibeant in aegris rheumatismo articulari acuto laborantibus, ea de causa tam raro

---

(1) Handbuch der medicinischen Klinik, II. 2te Abth. pag. 639.



morbos cordis observare. Cum his observationes a multis factae conveniunt, unde patet in aegris rheumatismo acuto articularum laborantibus nonnumquam strepitus folliculares in corde et in magnis colli vasis observari; cadaverum autopsiâ nullam cordis compaginis mutationem morbosam monstrante.

Cessante morbo strepitus illi folliculares etiam pergere possunt et martialibus adhibitis plerumque evanescent.

Nihilominus illa cum morbis cordis complicatio non raro existit et omnium frequentissima est. Praeter ea complicari potest rheumatismus cum pleuritide aliarumque membranarum serosarum inflammatione, peritonaci, meningum, etiam tunicae vaginalis communis testis.

Quod autem attinet ad metastasin rheumaticam, quamvis aliquando obvenit, multi tamen illam numquam observavere. CANSTATT l. c. jure sese opponit antea receptae opinioni nominatas inflammationes metastaticae esse naturae, quum minime semper post evanescentiam articularum affectionis acutae orientur, potius autem una cum illa sese evolvant, quin illi praecedere possint.

### § 3.

#### DE NATURA MORBI.

Rheumatismi articularis acuti natura magnis adhuc obnubilatur tenebris, quas indefessa multorum mag-

ni nominis medicorum conamina nondum illustrare potuerunt. Quum tamen quaestio maximi momenti sit in eligenda cura, non alienum erit eam paullo accuratius perscrutare.

Naturam morbi inflammatoriam plurimi defendunt, eam jam SYDENHAMUS et STOLLIUS suspicati sunt, vera autem morbi sedes illis non clara fuit. PINELLIUS et BICHAT, ulterius progressi, morbum inflammationem systematis fibrosi articulorum putant, ita ut ab hoc tempore rheumatismus fibrosus rheumatismo musculari vel systematis muscularis inflammationi opponeretur.

Neque hodierna doctrina de inflammatoria morbi natura multa nos docuit. BOULLAUD, aliique BROUSSAISIIUM secuti, rheumatismi articularis naturam unam eandemque habent atque aliarum inflammationum acutarum, dum alii articulari rheumatismo inflammationem sui generis subesse credant.

Ex diametro illi opposita est nonnullorum opinio, rheumatismum articulare acutum minime naturae inflammatoriae habentium, et inflammationem ne elementum quidem morbi, sed complicationem tantum putantium. DECHILLY hanc doctrinam propugnans, rheumatismum articulare acutum aequè minus articulationum inflammationem haberi licere opinatur ac variolas et morbillos cutis phlogoses, ac febrem typhoideam tractus intestinalis inflammationem. In variis illis casibus inflammatio



ergo nihil aliud esset quam manifestatio symptomatica causae morbificae in organismo existentis.

Nonnullis rheumatismus analogiam habet cum arthritide. CHOMEL, qui etiam hujus opinionis est, rheumatismum in ordine morborum phlogisticorum sub fine ponit et immediate ante haemorrhagias. Ex ejus opinione rheumaticae affectiones aequè bene familiam naturalem constituunt ac febres intermittentes, magnamque cum morbis nervosis habent analogiam.

Memorandum adhuc Hufelandum morbum affectionem serosam habuisse.

Quatuor ergo, summatim, in scientia valent sententiae de vera rheumatismi articularis acuti natura:

1° Multis est mera inflammatio vel specifica saltem;

2° nonnullis affectio serosa:

3° aliis neurosis vel neuralgia; dum

4° tandem alii morbo uti arthritidi dyscrasiam subesse lithiasicam sustentant.

Accurati examini varias has sententias ex ordine subjiciamus, ut ex illis optimam quantumpotè eligeremus.

Sustentant propugnatores inflammatoriae morbi naturae symptomata rheumatismi articularis acuti eadem esse atque aliorum morborum phlogisticorum, utriusque affectionis curam antiphlogisticam optimos edere effectus.

Symptomata, ajunt, localia, uti sunt dolor, rubor, calor, tumor, eadem sunt, quae a quovis me-

dico cuivis inflammationi tribuuntur. Febris inflammatoria adest vehementissima, et in nulla phlogosi sanguinis crusta phlogistica crassior est.

Post mortem in articulis maxime indubiae inveniuntur inflammationis sequelae, imprimis puris aut purulentae synoviae accumulatio, interdum membranae spuriae.

Princeps morbi causa, sic pergunt, frigus scilicet humidum, eadem est, quae inflammationes maxime genuinas producit, pneumoniam, pleuritidem, similia.

Quum tandem ex HIPPOCRATIS opinione naturam morbi ostendat curatio, venaesectiones saepius brevibusque intervallis repetitae (*saignées coup sur coup*) morbi indolem inflammatoriam probant, quorum argumentorum pretium priusquam quantumpote perlustrare conemur, pernecesse videtur ut videamus quid novissima experimenta nos doceant de sanguinis crasi in hoc morbo et de mutationibus in telis articulationum.

Recentiores quidem chemicae sanguinis analyses, prouti anteriores, in morbo nostro, uti in plurimis aliis morbis inflammatoriis, fibrinum tantum copia auctum (sic dictam hyperinosin), globulosque sanguinis copia absolute imminutos (Henle) demonstravere. Memoranda tamen sunt quae CANSTAT (1) hac de re dicit: » Indessen sind keineswegs alle rheumatischen Krankheiten von Vermehrung des Faserstoffes im Blute begleitet,

---

(1) l. c. II 2. p. 617.

es ist nicht erwiesen, dass die Blutkrasis der Entstehung des Rheumatismus vorhergehe, sie kann ebensowohl Folge, Symptom, als Ursache der Krankheit sein und man kann billig fragen, wesshalb nicht in allen Fällen, wo der Faserstoff in vermehrter Proportion im Blute sich findet, wie bei Pneumonie, Pleuritis, Pthisis auch Symptome rheumatischer Affectionen sich zeigen. Erwägt man, dass in allen Fällen von ausgebreiteter Stase die Faserstoffmenge im Blute zunimmt, so bietet sich von selbst die Erklärung, wie im acuten Gelenkrheumatismus ein Gleiches stattfinden müsse, ohne dass man seine Zuflucht zur willkürlichen Annahme einer specifischen rheumatischen Blutkrasis nehmen müsste. Was noch insbesondere gegen eine primäre fibrinöse Abweichung der Blutmischung spricht, ist die gewöhnlich seröse und schleimige, nicht fibrinöse Beschaffenheit des Exsudats in rheumatischen und catarrhalischen Entzündungen; eine ursprünglich fibrinöse Blutkrasis müsste auch fibrinöse Exsudate liefern; hingegen kann die Ausscheidung von Serum aus dem Blute in rheumatischen Krankheiten gerade die relative Zunahme des Fibrins im Blute begünstigen. Man wird mir den Einwurf machen, dass die Ablagerungen in der Endocarditis rheumatica an den Herzklappen aus Fibrin bestehen: diess ist aber kein Exsudat, sondern ein Niederschlag aus dem Blute, durch die Herzbewegungen vermittelt."



Ex hiscè crustae phlogisticae frequentia in rheumatismo articulari acuto satis explicari potest. Dummodo autem in supra-dicta opinione haereamus exsudationem esse primariam, hyperinosin vero secundariam, restat tamen, secundum HENLE, ut explicetur absoluta globulorum sanguinis imminutio, quorum numerus, rebus ita perpensis, relative augeri deberet. Sanguinis detractiones illum globulorum sanguinis defectum, cui in reconvalescentia difficulter suppletur, augere valent, ita ut non raro, moderata etiam rheumatismi articularum acuti cura anti-phlogistica instituta, chlorosi non dissimilis conditio superstes sit. Fieri igitur potest ut in hoc morbo crusta phlogistica ex sanguinis globulorum imminutione oriatur, eadem ratione qua illam saepe in sanguine chloroticarum invenimus.

ENGEL sanguinem saepe invenit spissum, nigricantem, difficulter aut non coeuntem, raro, iis tantum exceptis casibus, qui cum endo-vel pericarditide complicati erant, crusta phlogistica munitum; centra nervorum reperit pallida, anaemica atque dura.

Hucusque de sanguine. Quod autem ad inventa in ipsis articulis attinet, sequentia afferuntur. Nunc membrana synovialis inflammata invenitur, cavumque articuli exsudatis repletum aquosis, turbidis, purulentis, fibrinosis, nonnunquam haemorrhagicis; nunc partes molles, ossa et cartilagineae suppuratione aut maceratione destructae reperiuntur, vel etiam inflam-

mationis productis aut exsudatis sanguinolentis infiltratae. In aliis casibus partes tantum molles articulum circumdantes liquore aquoso sunt infiltratae, qui tamen etiam turbidus ac purulentus fieri potest.

KUSSMAUL (1) duos refert casus rheumatismi articularis acuti, in quibus insignes sanguinis extravasationes sub ossium diaphysium periosteo reperiuntur, alterum cum exitu in necrosi. WUNDERLICH (2) duas refert autopsiarum historias, in quarum altera condylus internus ossis femoris sinistri, in circumferentia duorum pollicum carie erat destructus, ossis inferior apophysis prorsus exsudato ichoroso infiltrata et a diaphysi ita dissoluta, ut genu flexione facile disjungeretur; a loco condyli interni carie affecto longus sinus sursus sese extendebat per duas tertias ossis femoris partes; sinus ichore erat repletum quo etiam musculi circumjacentes macerati erant. Similia observabantur in superiori parte ossis femoris dextri et in inferiori apophysi ossis humeri dextri. In ipsis articularum cavis nulla structurae mutatio morbosa obvia erat, synovia tantum turbida ac viscida. A nonnullis morbi exitus in suppurationem in controversiam vocatus est et revera minime negari potest tali in casu confusio- nem cum pyaemia, synovitide traumatica aliisque conditionibus saepissime existere.

Illum tamen, quamvis rariorem exitum negare non

(1). Archiv für phys. Heilk. XI. 4. 1852.

(2). Handbuch der Path. u. Therapie II. p. 977.

licet et hujus rei casus non dubitandi a nonnullis observatoribus cum publico communicati sunt. ANDRALIUS enim in femina, quae, acuto rheumatismo articulorum correpta, in initio secundae hebdomadis mortua est, sanguinem in corde et in vasis majoribus normalen invenit, nusquam phlebitidis vestigium, in utraque tamen humeri articulatione pus verum totamque membranam synovialem minorum vasorum injectione intense rubentem. Bursae mucosae, articulum cingentes, pus itidem continebant et cum articuli cavis communicabant. Partes molles circumjacentes normales erant et in cubiti articulatione parvam liquoris turbidi copia reperiebatur. In priori a WUNDERLICHIO (1) relata autopsiae historia in articulatione femorali tres circiter uncias puris reperiebat spissi, uniformis, vini depositi colorem referentis, membranam synovialem inspissatam, superficiem ejus internam rubram ac inaequalem, cartilagineas tamen articulares integras; e caeteris autem durante vita affectis articulis in sinistra genu articulatione parva tantum ligamentorum capsularium aderat rubescentia; in sinistra cubiti articulatione vix normalis synoviae copia, membranae synovialis vero rubor intensus et punctatus, in sinistrae manus articulatione rubescentia adhuc intensior cum oedematis subcutanei vestigio.

Memorati casus inter vehementiores recenseri qui-

---

(1). l. c. p. 977.



dem merentur multumque valent ad probandum, exitum in suppurationem obtinere posse. Plurimi tamen observatores in eo consentiunt mutationes morbosas in articulis non esse congruos cum symptomatum vehementia, et saepissime plane deficere. Ex hisce igitur patet exitum in suppurationem aliquando obvenire, non autem inter inventa necessaria pertinere.

His praemissis, alia ad morbi naturam pertinentia examini submittamus.

Symptomata rheumatismi articularis acuti non prorsus eadem sunt ac morborum phlogisticorum. Raro enim in his illa observatur mobilitas, subita illa invasio, magna illa rapiditas qua morbus ad suum culmen pervenit, illa subito cessandi vel locum mutandi proclivitas, quae in rheumatismo articulari acuto sese ostendunt.

Disparet febris in decremento morborum phlogisticorum, in rheumatismo autem perdurat postquam dolores articulares jam evanuerunt. Tumor insuper in rheumatismo elasticus est ac fugax, in meris inflammationibus et in arthritide non ita. Magno jure ergo simplicem hunc congestionem habere et quando vera inflammatio oriatur, cui ANDRALLIO docente locus datur, hanc uti complicationem considerare possumus.

Quod tandem ad argumentum attinet ex morbi cura anthiphlogistica deductum, hoc loco sufficiat ut commemoremus, tum anterioris, tum recentioris tem-

poris practicos, postquam de incommodo iis persuasum esset, profusis sanguinis depletionibus allato, methodum mutavisse pro cura magis naturae morbi accommodata.

Ex hisce omnibus sequitur rheumatismum articulum acutum minime meram esse phlogosin, illi specificam quidem subesse posse inflammationem, inflammationem vero si existit aequè bene complicationem haberi posse.

Breviori nunc examini submittamus sententiam HUFELANDI, rheumatismum nempe tamquam irritationem considerantis, in membranis serosis, non vero in vasis sanguiferis sedem habentem, morbum minime veram phlogosin, sed tantummodo irritationem ad hanc accedentem opinantis. Secundum hanc opinionem morbus ad hydropes esset referendus et eodem modo ac hydrocele similesque considerandus.

Negari quidem non potest in rheumatismo articulari acuto abundantem et abnormem synoviae secretionem semper adesse, sed nequaquam cum HUFELANDO ejus secretionis causam quaerere possumus in materie peculiari morbosa retenta (acrimonia rheumatica). Secundum nostram hodiernam doctrinam suppressa cutis perspiratione aequilibrium turbari potest inter vasorum absorbentium et secernentium actionem, qua liquoris serosi copia quantitative augeri potest; hac quidem ratione processus in genere lo-



calis, uti hydrocele, in quibusdam casibus explicari potest, minime vero morbus universalis, uti rheumatismus articularis acutus; in hoc acrimonia quaedam rheumatica, hypothetica, quae sanguine vehitur, necessarie in auxilium erat vocanda.

Eorum, qui morbum neurosin habent, opinio nititur dolore, in rheumatismo articulari acuto vehementissimo vulgo et numquam deficiente, porro mobilitate symptomatum, nervoso quem morbus aliquando induit caractere vel nervosa quadam complicatione, salutari in quibusdam casibus actione opii, aconiti, veratrini aliorumve narcoticorum atque chinini imprimis sulphurici probata.

Ulteriorem horum argumentorum explicationem silentio praetereundam mihi videtur, eo majus quum in altero capite narcoticorum effectus accurato examini submittere volumus.

Revera autem non conveniunt cum nervosa morbi natura structurae mutationes in articulis affectis (1), morbi decursus aliquando acutissimus atque phaenomena critica, quibus saepe cessat.

CHOMEL acutum articulorum rheumatismum analogiam cum neurosi habere probare studet, » *par*

---

(1) Viginti duo a BOUILLAUD allati morborum casus, ut confirmetur hasce structurae mutationes lethalem eventum semper comitari, severum iudicium minime ferre possunt.

*» l'absence de toute lésion organique dans les parties  
» qu'il affecte.»*

At vero hac in re sane plus quam par est statuit, sed etiamsi ejus monitum veritati omnino oppugnat, nervosa tamen morbi natura esse potest. Quaevis enim neurosis post aliquod tempus congestioni, inflammationi hujusque sequelis, structurae mutationibus, ansam dare potest. Nonne dolores obtusi, vagi in articulis saepius proprie dicto rheumatismo articulorum acuto diu praecedunt? Nonne sani ab omni parte homines raro a morbo corripuntur, nisi causa occasionalis (frigus humidum in corpns sudans agens) eamque secuta medullae spinalis irritatio vehementiores sint? Afficiuntur plerumque rheumatici, vel ii qui jam antea rheumatismo articulari acuto laboraverunt, eadem quidem forma, sed leviori, quin levissimo gradu prodeunte, ita ut medici auxilium invocare non necesse putaverint.

Argumenta igitur, quae nervosae morbi naturae opponuntur, non plane admittenda sunt, sed praeterea talis rheumatismi natura verisimilior fieri videtur, si ad physiologicam medullae actionem respicimus.

Omnia enim irritamenta in nervos periphericos agentia in medulla per reflexionem et sympathiam symptomata proferunt, quae plerumque in systemate capillari unius pluriumve partium stasi, in nervis sensitivis neuralgia, in nervis motoriiis vel in partibus ab iis curatis spasmo sese manifestant. Quodsi

ergo totum systema cutaneum vel magna ejus pars subito frigoris stimulo afficiatur, abnormis reactio in eo majorem organorum numerum extenditur, quo major numerus sit fibrillarum nervearum ex medulla originem ducentium, quae stimulum acceperint: tum sequi potest rheumatismus articularis universalis vel febris rheumatica vel paralysis rheumatica.

Quum vero illa a medulla spinali repetenda stasis in quadam tela seroso-fibrosa sese manifestet, tum symptomata nobis afferuntur rheumatismi articularis acuti, uti sunt decursus lentus, organicae mutationes vel deficientes vel exiguae, hyperaemia, tumor ac dolores vehementes, telae affectae exigua extensibilitate, vicinarumque partium compressione incrementes.

Illa insuper fugacitas atque mobilitas, rheumatismo articulari acuto propriae, optime explicari possunt ex partibus quas medulla spinalis in hoc morbo producendo agit, eo majus si animo reputemus hujus centri nervorum irritationem morbosam primariam, stasi in quadam articulatione producta, non facile exstingui, mutuam vero reactionem perpetuo persistere, qua fit ut aliae articulationes eodem modo corripiantur.

Multa igitur afferri possunt argumenta pro nervosa morbi natura.

Minus autem cum illis consentio, qui morbum, uti



arthritidem, ex diathesi lithiasica explicare conantur. In utraque affectione, ita contendunt, acidum uricum copia abundat et rheumatici, uti arthritici, calculis et arena urinaria saepe excruciantur, concretiones insuper morbosae in articulis rheumaticorum eandem ostendunt chemicam compositionem (ex uratibus scilicet parvaque phosphatum quantitate constantes) ac arthriticorum. In rheumatismo symptomata localia eadem sunt quae in arthritide: tumor, rubor, dolores lancinantes, suppuratio in articulis rarissima. Chronicus articularum rheumatismus, perinde ac arthritis, intumescitiae subinflammatoriae ac deformitati affectarum articulationum ansam dat. Complicationes cum morbis cujusdam organi interni eadem saepe in utroque morbo observantur.

Tandem pro sua sententia etiam afferunt turbae gastricae, in utraque affectione obviae.

Non est denegandum inter utrumque morbum, stadio proVectiori scilicet, magnam dari convenientiam, et diagnosin, postquam morbus chronicum induit characterem, nisi adjuvante anamnesi, non facilem esse; (sic vulgo dolores illi pertinaces in musculis, tendinibus, articulis aliisque remanentes, in rheumaticis rheumatici dolores vocantur, in arthriticis arthritici). Haec autem non sufficiunt ut alter morbus cum altero confundatur, alterique similis habeatur.

Originem trahit arthritis ex conditionibus morbo-

sis organorum haematosi in abdomine inservientium; viros magis quam feminas aggreditur; ejusque paroxysmi periodice absque ulla causa externa redeunt, primaeque aggressioni per longum temporis spatium turbae abdominales praecedant. Rheumatismus e contra aeris injuriis producitur, nullis plerumque prodromis praenuntiatus insultus alios non semper sequitur.

In arthritide insuper minores articulationes potius corripunter, v. c. primum plerumque hallucis articulatione; a rheumatismo articulari acuto majores saepissime afficiuntur; et in hoc fixae concretiones raro observatae sunt.

Urinae sedimentum in rheumatismo articulari acuto magis a febre pendet.

Haereditas est regula in arthritide, exceptio in rheumatismo.

Ex hisce facile intelligitur nullo jure rheumatismum articulare acutum et arthritidem unum morbum haberi. —

Opinionibus de vera rheumatismi articularis acuti natura ita inter se distantibus, variarum curandi methodorum eventus aptam nobis forsitan praebebit occasionem e variis sententiis optimam eligendi, quarum expositio in altera parte sequetur.



## PARS THERAPEUTICA.

---

### § 1.

#### SANGUINIS DETRACTIONES.

*a. Universales.* — Veteres de arte medica Scriptores celeberrimi jam sanguinis detractiones universales in rheumatismo articulari acuto commendavere, quod non mirum videri potest in morbo, signa sic dicta pathognomonica inflammationis tali gradu ostendente et febre intenso stipato. Ex illis celeberrimus SYDENHAMUS de universalibus sanguinis depletionibus sequentia dicit: » Ut primum accersor, statim sanguinis uncias decem e brachio lateris affecti mitti » jubeo. Die sequenti, sanguinis tantumdem detrahere » praecipio; atque intercalato die uno alterove, pro » aegri viribus tertio; dein, interjecto trium quatuorve » dierum intervallo (prout aegri vires, constitutio, » aliaeque circumstantiae suadent monentque), quarto » atque ultimo ut plurimum, venaesectionem repeto; » raro enim usu venit, ut ultra quartam vicem venam

» incidamus, nisi vel regimen justo calidius praecesserit, vel medicamina calidiora aegro praeter necessitatem fuerint ingesta.”

Haec methodus tamen SYDENHAMI non semper placuisse videtur, quum postea declarat bis terve instituta venaesectione melius esse ab ea abstinere et cathartica administrare. Summi momenti mihi videtur haec sententia SYDENHAMI, qui accuratissimus morborum interpret aegrotantium salutem pertinacius cujusdam methodi applicationi anteposuit. STOLLIIUS quoque se interdum SYDENHAMI methodum secutam esse, affirmat. » Verum vim medicationis, ” ait (1) » hujus mali diuturnitas non raro elusit viresque aegrorum citius quam morbum fregimus.” Postea methodum relinxisse videtur.

Imprimis TISSOTUS et ROCHE inter phlebotomiae laudatores nominari merentur. » Si le mal ne diminue pas considérablement, ” ita in libro suo TISSOTUS ad populum verba facit, » apres la première saignée, il faut la réitérer au bout de quatre heures. J’en ai fait faire quatre dans les deux premiers jours et quelques jours après une cinquième.”

CHOMELLIUS e contra unam vel duas tantum venae-sectiones commendat, febris tantum moderandae causa. Recentiori autem tempore universales sanguinis de-tractiones saepius brevibusque intervallis repetitae a

---

(1) Ratio medendi. Tom. I. p. 57.



Cl. BOUILLAUD tanquam unica vera methodus therapentica laudatae sunt. Methodum istam (*Formule des saignées coup sur coup*) in sequentibus breviter exponamus.

Quo die recipitur aeger, dummodo fortis sit et mediae aetatis, venaesectio fit unciarum XVI, sequenti die duas, utraque unc. X - XII, et spatio intermedio depletiones topicae, vel per hirudines, vel per cucurbitas cruentas, quas hirudinibus praefert BOUILLAUD, quo modo X - XV sanguinis unciae adhuc evacuantur. Cucurbitae vel in vicinitate partis affectae applicantur, vel in cordis regione, siquando hoc viscus imprimis affectum est. Tertio die iterum jubetur venaesectio et apponuntur cucurbitae, ad evacuandas sanguinis uncias. IX - XII usque. Quarto die febris, dolor et tumor, verbo omnia symptomata sic dicta inflammatoria imminuta sunt, et nulla ulterior fit sanguinis evacuatio. Quinto die morbus in convalescentiam transit. In vehementioribus tantum exemplis febris nunc etiam perdurare solet, quo in casu ad novam depletionem vel generalem vel topicam refugitur. A sexto ad nonum diem convalescentia manifeste prodit, aegroque cibus magis nutriens jam concedi potest. Morbo recidivo, in casu graviori novae jubentur venaesectiones, in minus gravi diaeta, balnea, opiata, similia sufficere poterunt. Adjuvantia sunt diaeta, potus diluentes, vesicatoria, pressio partium externarum, partis cum unguento



hydrargyri illinitae involutio, cataplasmata emollientia, balnea, opium, partim intus, partim endermatice adhibitum. Sanguinis evacuati quantitas in hominibus bene nutritis, rheumatismo articulari acuto laborantibus, secundum methodum cl. BOUILLAUD, plerumque est librarum IV - V, in casu vehementiori usque ad libras VI - VII, quin VIII; in leviori vero tantum librae II vel III detrahuntur.

Hacce adhibita methodo BOUILLAUD morbi durationem, alioquin 6 - 8 hebdomadam, ad 7 - 14 dies vel magis adhuc reduci opinatur; hac praeterea ratione morbus numquam lethalis neque chronicus fieret.

Haec a Viro clarissimo e praxi deducta magni momenti videntur, imprimis quum non minus quam ducentis confirmentur observationibus. An autem veritati plane congrua sunt? Nequaquam nobis credere licet BOUILLAUDUM ex industria res veritati oppositas retulisse, sed 1º methodum suam jam diu bono cum eventu applicaverat in pleuritide, pneumonia, aliisque morbis phlogisticis acutis, a priori ergo methodo captus habendus est. 2º Quandoquidem BOUILLAUD ubique endocarditis observabat vel existere certe putabat, suam methodum etiam in iis adhibuit casibus, qui verosimiliter sola cura diaetetica sanitati restituerentur, dum insuper inter leviores ducentorum ab illo memoratorum casuum, tales refert, in quibus levior cujusdam articuli rheumatica affectio

cum morbo cordis organico erat complicata. Tum quoque adhuc memorandum divisionem casuum observatorum in gravioros, leviores et leves quamvis ad speciem aptissima sit, nihil fere ad rem facere, quia illi imprimis subest morbi cum cordis affectionibus complicatio, quae uti jam vidimus in morbo regula non est.

3<sup>o</sup> Quum complicatio morbi cum endocarditide, etsi non frequens sit, tamen occurrat, quumque tales imprimis casus morte terminari soleant, fieri quidem posset ut BOUILLAUD largis depletionibus endocarditidem vel praecaverit vel sustulerit, atque ut hanc ob causam nullus casus lethalis fuerit.

Ultimum argumentum pro methodo stricte antiphlogistica, quam BOUILLAUD instituit, militari omnino videtur, at vero de iis tantum casibus valet in quibus rheumatismus articularis acutus cum endo- vel pericarditide complicatur.

Veritati consentanea esse non possunt, quae contendit Vir Clar. de brevi morbi duratione adhibita sua methodo. Protractam enim reconvalescentiam, magnam aegrorum debilitatem non commemorat; dummodo dolor disparuerit, sanatus est aeger.

Demonstravit nempe imprimis CHOMEL rheumatismum acutum articulare ab una parte non tam diu durare quam contendit BOUILLAUD, sed plerumque non ultra duas aut tres hebdomades, et ab altera parte ex triginta tribus exemplis, a BOUILLAUO allatis, non nisi sex ante finitam alteram hebdoma-

dem fuisse sanata, nulla adhuc habita ratione, temporis, inter morbi primum aggressum et aegri receptionem in nosocomium intermedii.

Alii Auctores e plurimis allatis morborum historiis deducere se posse opinantur BOULLAUDUM sua captum methodo, aegrotantes justo citius reconvalescentes habere, cum remissiones 24 — 48 horarum in isto morbo saepe obviae sint. Cum igitur accurato instituto examine probatum videatur BOULLAUDII effatis non planam fidem esse habendam, eius methodo ab altera parte jure opponi videtur, quod aliquando fortasse non raro nocivos ediderit effectus.

Ita vires aegrotantium illam frangere et cordis affectionibus ita metuendis, ac conditionibus morborum sic dictis chloroticis longae durationis ansam dare bene multi jure contendunt.

Quod refutare conatus est BOULLAUD, contendens non sanguinis detractiones repetitas sed longam morbi durationem esse causam remanentis debilitatis, quia sanguinis jactura mox restituitur. Ad rem illustrandam fortasse iuvabit aliorum, hanc methodum sine praejudicata opinione expertorum, experientiam exponere. MONNERET (1) quatuor refert casus in nosocomio Parisiensi (la Charité) hac methodo curatos.

In primo et quarto casu endocarditis aderat, in quarto praeterea exanthema miliare, sudore copioso stipatum.

---

(1) Gaz. des Hôp. 24 Sept. 1842.



In tribus prioribus casibus intra biduum quinques vena secabatur, multaeque applicabantur cucurbitae cruentae; in omnibus rheumatismus articularis acutus quarto vel quinto ab instituta cura die evanuit, pulsusque tardior evasit (quod a MONNERETIO bonum habetur signum). In primo autem strepitus abnormis in corde remanens prognosin minus faustam reddebat.

Primus aegrotans et tertius in stadio reconvalescentiae anaemia laborabant (levis strepitus intermittens in arteria carotide). Quartus vero die decimo quarto ab instituta cura quoad morbum melior sese habebat, sed cordis conditio periculi plena erat habenda et de perfecta sanitatis restitutione minime adhuc sermo esse poterat. Profitetur porro MONNERET morbi vim methodo frangi quidem posse, aegrotantes vero morbis secundariis semper laborare, quod ut methodum commendaretur non aptum videtur.

A ROSTANIO quinque observationes in nosocomio Parisiensi (Hotel-Dieu) factae cum publico communicantur (1), in quibus sanguinis detractiones licet moderatiores institutae sunt, quarum brevis conspectus hic sequitur.

Obs. 1. Femina nupta, 23 annorum, 15<sup>o</sup> m. Jan. prima vice morbo correpta, nosocomium 18<sup>o</sup> h. m.

(1) Gaz. des Hôp. 7 Févr. 1854.

Postea (Gaz. des Hôp. 28 Fevr. 1854) quatuor adhuc referuntur observationes bono eventu moderata antiphlogosi curatae, tempore autem communicationis in nosocomio adhuc versantes.



intravit, 7 - 8 articuli gradatim afficiuntur, dum primo sono levissimus aderat strepitus. Bis vena secatur. Incipit stadium reconvalescentiae 22<sup>o</sup> Jan., relinquit nosocomium 4<sup>o</sup> Febr.

Obs. II. Femina nupta, 23 annorum, antea nunquam rheum. art. ac. passa. Incipit morbus 12<sup>o</sup> Jan., quator diebus post in nosocomium recipitur. Una tantum instituitur venaesectio. Incipit convalescentia circa 25<sup>o</sup> vel 26<sup>o</sup> h. m. Nullus aderat strepitus.

Obs. III. Juvenis, 30 annos natus, tertia vice morbo correptus, 20<sup>o</sup> m. Jan. (prima vice anno decimo quinto, secunda duodevicesimo). Bis vena secatur. Fere sanatus 4<sup>o</sup> Febr. Nullus obvenit strepitus.

Obs. IV. Juvenis, 20 annorum, tertia corripitur vice 14<sup>o</sup> m. Jan. (primus obvenit insultus anno undecimo, secundus anno duodevicesimo); post hanc continuo palpitationibus laborat. In clinicum recipitur 16<sup>o</sup> h. m. Primum sonum strepitus comitatur.

Duabus institutis venaesectionibus convalescentia 20<sup>o</sup> Jan. incipit.

Obs. V. Juvenis, 17 annos natus, secunda vice morbo corripitur 4<sup>o</sup> m. Jan. (prima anno decimo tertio), nosocomium 9<sup>o</sup> Jan. intravit. Strepitus levis; duae instituuntur venae-sectiones; incipit stadium convalescentiae 13<sup>o</sup> m. Jan., sanatus demittitur 3<sup>o</sup> m. Februarii. — Praeterrmittentibus conclusiones ab Auctore ex illis deductas, licet nobis ea excipere; quae nostra scopo respondeant.

Morbi duratione pro nostro scopo ab incepta cura usque ad ineuntem reconvalescentiam statuente (quod mihi incertum videtur), liquet morbi durationem in primo casu fuisse 4 - 5, in secundo 9 - 10 dierum; in tertio non mentio fit de tempore quo cura inceperit, neque de reconvalescentiae initio; a morbi invasione usque ad sanationem duratio 14 dierum erat. Casus quartus et quintus singuli quatuor dierum spatium percurrerant. Dolendum quod in his virium conditio ac strepitus perduratio (qui ter obvius erat) non memoratae sunt. Sanguinis tamen detracti copia non ita magna erat, ut ex illa debilitatem vel strepitum expectari liceret. Moderationis ergo hujus antiphlogoseos effectus praecedenti multo meliores videntur.

Apud nostrates moderata antiphlogosis, aliis sic dictis remediis antiphlogisticis adjuvantibus, hodie etiam usurpatur, multique bonos hanc edere effectus affirmant, licet reconvalescentiae stadium non tali brevi tempore intret qualis in casibus a ROSTANIO memoratis; multique insuper post illam saepissime statum observare anaemicum ac chloroticum, in nostro morbo, docente CANSTATIO, post unam pluresve sanguinis detractiones citissime aliquando nascentem.

Magis magisque relinquitur BOUILLAUDII methodus, quin moderata etiam antiphlogosis ab artis peritis in dies limitatur; solum enim hodie administrari solet in individuis plethoricis, ubi vehemens adest reactio

at simul morbus inflammatione partium internarum nobiliorum complicatur.

In morbi initio praecipue cum antiphlogosi caute mercandum, quia postea endo- vel pericarditidis fortuita complicatio largas sanguinis detractiones requirit; neque a dolorum articularium vehementia indicationem magnae sanguinis copiae detrahendae petamus, qua rheumatismus articularis fixus *vagus* fieri posset et reconvalescentiae stadium protraheretur. Methodus ergo prae aliis non commendari meretur, urgente autem indicatione moderata antiphlogosis utilis esse potest. Nostris autem temporibus anaemicis parcae sint sanguinis detractiones; quid mirum igitur quod nostro tempore varia adhibita sint remedia, specifica ut ajunt virtute ad morbum debellandum praeditae?

*b. Topicae.* — Opinantibus affectionem articularum localem tantum morbi universalis esse manifestationem, clare patet depletiones topicas tunc tantum utiles esse posse, quando una modo articulatio affecta sit, neque in aliam migret morbus, sique loco affecto vehemens admodum dolor sit, aut in phlegmonosam et fixam inflammationem degenerare minatur articuli morbus. Hirudinum vel cucurbitarum cruentarum applicatione debellari quidem possunt partis affectae tumor ac dolores; hi tamen alibi plerumque exsurgunt et aegrotanti ideo nocere possunt quum morbus, a periphèria



retropulsus, partes centrales affectet, ita ut breve levamen exitus funestas insequi posset.

§ 2

SALINA.

*a. Nitrum.* — Jam superiori saeculo magnae hujus remedii doses (8—10 dr. intra nycthemeram) in vehiculo demulcente adversus rheumatismum articulare acutum a medico Anglicano BROCLEY propositae sunt, qui post aliquot dies remedium levamen afferre, copioso erumpente sudore, affirmat. Nostra aetate GENDRIN imprimis inter ejus laudatores recenseri meretur, doses unc.  $\beta$  —  $i\beta$  intra nycthemerum magna liquoris quantitate solutas adhibens.

Plurimi remedium simul cum aliis administravere, pauci vero omnibus aliis sepositis, quorum experientiam in sequentibus breviter exponere conabimur.

Doct. ARAN (1) duodecim rheumatismi articularis acuti casus refert, quorum tres endocarditide vel pericarditide erant complicati; in omnibus hisce casibus, adhibito nitro, media morbi duratio erat unius hebdomadis post morbi invasionem. Intra nycthemerum uncia in magna liquidi copia, durante morbo libra circiter administrabatur.

---

(1) Journ. des Connaissances méd. Aout, 1842.



Tales, affirmat doct. ARAN, magnas doses venenatos numquam edidisse effectus, vulgo sudores copiosos, nonnumquam diarrhoeas, raro abundantem urinae secretionem produxisse. Sub usu remedii mox decrevit pulsum frequentia et durities, cordis impetus imminuebatur. Haec circulationis mutatio atque abundans transpiratio apud plurimos aegros observatur.

BENNET GENDRINI methodum secutus in acuta morbi specie remedium magnos edidisse effectus, in chronica autem parum efficere, affirmat. In initio vomituritiones ac vomitus oriri, protracto autem remedii usu mox cessantes, declarat. Primis 24 vel 36 horis nulla observabatur mutatio, tum autem vel serius adhuc pulsus tardior ac debilior fiebat, quod etiam ab ARANIO observatum fuit, absque ulla jam nunc notabili aegrotantis conditionis mutatione. Saepe diuresis ac diaphoresis auctae observabantur et in ultimo casu pulsus eo citius decrevit. Ex ejus opinione hujus salis virtus sedans principatum tenet et cessantibus reactionis generalis symptomatibus evanescit inflammatio localis, tumor sensim decrescit ac non amplius ab uno ad alterum articulum migrat; 5<sup>o</sup>, 6<sup>o</sup> aut 7<sup>o</sup> die aeger convalescentiae stadium intrat et die 10<sup>o</sup> vel 12<sup>o</sup> sanatus haberi potest. Durante medicaminis administratione lingua semper alba observabatur.

BENNET, quamvis nitrum princeps adversus morbum habeat remedium, non semper tamen effectus edidisse

postea confitetur, aliamque institui solet curam, dummodo inter quatuor vel quinque dierum spatium conditio morbosa non emendata sit. Cordis affectiones durante cura se numquam observasse declarat.

Minus faustos obtinuit eventus, certe quoad morbi durationem doct. BASHAM (1); 79 aegrotantibus nitrum administravit, quorum sexus virilis 58 (de quibus decem cordis affectione erant correpti et duo succubuere) et feminini 21 (quarum octo corde laborabant et una tantum succubuit); 56 sanatorum morbi media duratio 31, viginti sanatarum autem 34 dierum erat.

Quoque doct. MACARIO (2) nitrum optimos edere effectus contendit; 3, 4 ad 5 drachmas de die administrat, raro et tantummodo in casibus acutissimis ad unciam adscendit. Modificatur haec cura pro aegrotantis conditione et pro complicatione; sub ista cura, inquit MACARIO, mox evanescit febris cessantque dolores, sudoribus ac urina abundanter simul prorumpentibus.

E quindecim ab illo observatis morborum casibus, duodecim refert in quibus nitrum, licet non unicum remedium esset, in cura tamen principatam tenuisse dici poterat.

Breviter memorabiliores exponamus:

In tertio casu intra nycthemerum plane sanatur

---

(1) Med. Chir Trans. XXX. II. 1849.

(2) Ann. medic. de la Flandre Occid. 1852 — 1853. 5e livr.

aegra, adhibitis quatuor circiter nitri drachmis. In octava observatione de aegra agitur, quae intra dierum hebdomadem nitri ope sanitati restituitur; caeteri intra duodecim vel quindecim dierum spatium pristinam recuperant sanitatem, quod faustus omnino eventus vocari licet; liquet enim e quarta observatione morbum sibi relictum, ut sanetur, duas vel tres menses posse exigere, vel chronicam induere characterem. Ex observatione tertia decima et decima quarta concludendum esset, nitrum minus bonos edere effectus in articularum rheumatismo apyretico, licet multae affectae essent articulationes, doloresque vehementissime ac in magna extensione saevirent. Constat ex septima observatione tam magnas nitri doses impune administrare non semper licere, quia hoc casu continue vomitus ciebant. Metuendae illae cordis affectiones nullo memoratorum casuum obviae erant.

In nostra quoque patria multi inveniuntur hujus remedii laudatores, qui phlogisticam morbi naturam amplectentes, simul cum sanguinis detractionibus tum universalibus tum topicis eo utuntur. Aliquoties ejus administrationem observare mihi contigit, modico cum eventu, morbi tamen duratio ab eo non brevior facta mihi visa est.

Ex diversis allatis statuendum tantum videtur nitrum morbi durationem breviorum facere, febrem ac dolores mitigare pulsumque frequentiam ac duritiam



imminuere. Hisce tamen ejus virtus therapeutica nondum explicata est; an EISENMANNIO docente haec potassae tribuenda? vel remedium tantummodo antiphlogisticum habendum, quod fibrino solvendo agit? hoc sensu venaesectionum adjumentum utilissimum esse potest.

Nitrum ergo potius temperante virtute gaudere videtur, quam specifica antirheumatica ab aliis in hoc morbo illi tributa. Dentur tamen magnae remedii doses in magna vehiculi demulcentis copia, ut avertentur molesta ac nonnumquam periculosa gastrica symptomata. Non semper etiam datur medicaminis administrandi, omnibus aliis sepositis, occasio. Cui nam illa semper datur remedio, specificis imo?

*b. Alcalina.* — Horum remediorum in nostro morbo laudatores pro sua opinione afferunt :

1<sup>o</sup> illa sanguini alcalinam reddere naturam, quia saepissime omnes fere secretiones, speciatim perspiratio, in hoc morbo acidae observantur;

2<sup>o</sup> fibrinum quantitate auctum solvere;

3<sup>o</sup> virtute tandem temperante et diuretica, illa gaudere, qua sanguis eo citius purgetur.

Acida haec sanguinis conditio vim etiam nocentem in endocardium exerceret, hujus phlogosin ac hypertrophiam efficeret, dum majori fibrini copiâ depositionibus in valvularum partiumque circumjacentium interstitiis, circulationem turbantibus, ansa da-



retur. Doct. FURNIVALL(1) alcalia, speciatim autem *liq. kali carb.* magna dosi adhibebat, donec evanisset diathesis acida, vel non amplius ab aegris remedium ferretur; qua sub cura de quinquaginta casibus ne semel quidem cordis affectio erat obvia. Saepe etiam alcalia cum colchico aliisque specificis antirheumaticis praescripsit, quo non certiora fiunt experimenta.

Non plane tamen adhuc demonstratum est alcalia eodem modo in sanguinem agere *in* organismo quam *extra* eum, quod si fierit nulla fortasse remedia rationi plus essent consentanea, quibus si cordis affectiones praeverterentur, jam hac ratione administratione essent dignissima.

*c. Phosphas ammoniac.* — Nuper BUCKLER et EDWARDS hoc remedium commendavere. Ponunt viri illi doctissimi rheumatismo uti arthritidi dyscrasiam subesse uricam, de qua in altera parte fusius tractavimus. Hujus ergo salis actio in eo consisteret, quod acidum uricum et uras sodae in salia mutarentur solubilia, in uratem ammoniacae et phosphatem sodae, quae magna copia excernuntur; exstanti phosphati sodae, testante LIEBIGIO, proprium est majorem acidi urici quantitatem aqua solubilem reddere. Quo facto acidum uricum sive liberum sive conjunctum in organismo secretioni per renes proprium fierit.

---

(1) The lancet No. 11. 1844.

Administravere remedii 10—20  $\overline{\text{grana}}$ ; ter de die ea dosi notabilia non observabantur phaenomena physiologica, modo nausea et pyrosis (minori autem gradu), modo (stragulis aegro impositis calidis) sudor vel urinae excretio audaucta. In urinis eorum, quorum sanguis magnam acidi urici quantitatem continet, sedimentum copiosum ex uratibus constans formatur.

Quamvis affirmet doct. EDWARDS phosphatam ammoniae in arthritide et rheumatismo chronico optimus edidisse effectus, ejus tamen usum quoque in rheumatismo articulari acuto laudat. Morbi in alios articulos migrandi proclivitatem imminuere videbatur et in 15 casibus complicatio cum cordis morbo nunquam observata est. Exitum in rheumatismum chronicum articularem hoc remedio etiam praevertisse EDWARDS opiatur.

§ 3.

METALLICA.

a. *Tartarus emeticus.* — Variarum rheumatismi articularis acuti curandi methodorum illa speciatim notari meretur, quae a multis medicis adhuc usurpatur et consistit in tartari emetici magna dosi administratione.

STOLL, LAENNEC et DANCE hoc medicamentum

bono cum eventu se administrasse affirmant et ulteriores a **SCHOENLEINIO**, **ANDRALLIO** aliisque factae observationes hoc remedio rheumatismi articularis acuti decursum moderari confirmant, potissimum quum symptomata gastrica vel biliosa simul obvia sint. Ita enormes remedii adhibuere doses medici Americani, ut aegros non intoxicatione esse mortuos mirum sit. Plerumque instituta venaesectione administrandi methodum **PESCHIERI** (8 — 12 grana in solutione intra nycthemerum) sequuntur, uti in pneumonia. In initio plerumque materies sursum et deorsum expellitur, tandem autem fertur remedium. Qua demum agat ratione vel uti revulsivum aut tamscuam contrastimulans incitando excretiones, vel systemate nervoso deprimendo; vel sanguinem alterando vel augendo cutis functionem non certo effici potest.

Celeberrimus **SCHOENLEIN** inter remedii laudatores recenseri meretur; ut juvet, ait, largis per vomitum non autem per alvum, ejectionibus opus est, neque secundaria in cutem actio expectetur. Vehementi vomitus reactione articularum atrocissimos dolores subito cedere saepe vidit.

**LAENNEC**, tartari emetici maximus antea propugnator in 17 ab ipso observatis casibus nullum expertus est effectum et ab eo tempore ab usu abstinuit.

**DANCE** etiam in 20 casibus magnas tartari emetici doses contra rheumatismum articulare acutum parum valere observavit. Tam magnae igitur remedii



doses in universum reprobandae videntur; symptomatibus tamen gastricis vel biliosis simul obviis, tartarus emeticus egregios edere potest effectus.

Moveri denique posset quaestio an magnae istae doses morbi decursum non ita turbare valeant, ut facile ad cor aliasve partes internas metastases oriantur, quod HEYFELDER saepius se vidisse dicit.

*b. Mercurialia.* Horum praecipue *mercurium dulcem* usque ad salivationem in hoc morbo adhibuere, non autem uti specificum antirheumaticum sed propter virtutem ejus antiphlogisticam et secretiones incitantem. Ab Anglis inprimis summopere laudatur calomelanos cum opio connubium. Ut methodi antiphlogisticae adjuvans certe prodesse maxime calomel potest.

*Mercurius sublimatus corrosivus* secundum nonnullos rheumatismi acuti decursum breviorum reddere valet; affectione ad unam tantum articulationem limitata,  $\frac{1}{6}$  —  $\frac{1}{2}$  grani pars bis terve de die administrata apud adultos bonos edidit effectus in casibus, aliis remediis pertinaciter resistentibus.

Gastricis affectionibus intercurrentibus remedii usum vetari vix est quod moneamus. Ejus usum in rheumatismo chronico experientia jamdiu comprobavit.



§ 4.

NARCOTICA.

Narcoticorum administratio attentione dignissima est; si enim in memoriam revocamus quae in priori capite inveniuntur, rheumatismo articulari acuto verosimiliter subesse irritationem spinalem, narcoticorum administratio indicata videtur et rationi congrua; eorum etenim virtute peculiari systematis nervosi functiones, reflexiones morbosas efficientes eo usque sedari possent, ut adversus stimulos allatos aliquamdiu minorem reactionem ostendant. Sola fortasse actione anodyna maxime prodesse possunt; dolor enim in nostro morbo non solum habendum est symptoma, sed magno irritabilitatis gradu jam per se permanens causa morbi fieri potest. Imo quum ponamus rheumatismo articulari acuto inflammationem subesse, veri non dissimile est opium virtute sua narcotica et vim nerveam imminente inflammationem moderare, quod eo probabilius fit experimento a Cl. SCHROEDER VAN DER KOLK instituto, qui dissectis nervis inflammationi minus facile locum dari observavit; nonne ergo eo magis illis, qui rheumatismum articularum acutum e medulla tantum petendum existiment?

Varia morbo opposita sunt narcotica, quorum praecipua sunt: opium et morphinum, aconitum, vera-

trinum, cicuta, belladonna, strychninum, stramonium aliaque; quorum ne longiores simus usitatoria tantum examini subiciemus.

*a. Opium.* — CORRIGAN (1) primus hoc remedium in nostro morbo proposuit; suis ductus observationibus sequentia statuit: larga dosi propinandum est opium; qui autem granum unum ter quaterve de die administrat, plus nocere quam auxilium afferre illi videtur.

Eo usque augeantur doses, ut aegri, licet non dormiant, dolore tamen sint immunes ac bene sese sentiant. Refractae doses irritant atque erethismum nerveum provocant, dolores autem non mitigare videntur. Memorandum insuper magnas tales doses alvum copiosam, adstringentia fortissima requirentem, produxisse.

Qua sub cura morbi media duratio 17, post opii autem administrationem 9 dierum erat. Curae mandati numquam debilitati erant et minor erat morbi ad redeundum proclivitas.

Nunquam CORRIGAN jure metuendas cordis affectiones, a BOUILLAUD non obstante cura sua antiphlogistica tam frequenter observatas, vidit et funestum hunc exitum opium avertere posse existimat. Liquet porro ex relatis casibus dolores hoc remedio revera immiui et mirabile dictu sine narcoseos symptomatibus.

Haec cura ejus quoque de morbo opinioni, cui

---

(1) Dublin Journal, No. 47, Vol. XVI.

in initio turbatam subesse innervationem contendit, consentanea videtur.

Postea denuo opium celebratum invenio a doct. KERSTEN (1), qui gradatim auctas remedii doses (gr.  $\frac{1}{4}$  — 3 omni trihorio) adhibet. Ultima aliquamdiu administrata dosi, sensim sensimque doses imminuuntur.

Sua nititur methodus quinquaginta per longum temporis spatium observatis casibus et petit indicationem ex dolore persistente et ex conditione erethica tam universali quam locali; ab opio autem abstinendum simulac adsit peri- aut endocarditis; quo in casu illud adhibet CORRIGAN, complicationem avertere contendens. Doct. KERSTEN vero, non uti CORRIGAN, opii administratione endo- vel pericarditidem avertere posse credit, in conditionibus hypersthenicis numquam opium se administrasse affirmans. Hac adhibita methodo ad curam perficiendam decem aut quatuordecim dies requirebantur.

Ex hisce ergo tantum esset concludendum: opium citius quam methodum antiphlogisticam salutem afferre; affectionum cordis autem frequentiam hac methodo secuta minorem esse, conjici quidem potest, confirmationis tamen indiget.

Licet tandem cura opiata tamquam methodus non commendanda videatur, minime tamen negandum, opium maxime prodesse hominibus erethicis rheumatis-

---

(1) Deutsche Klinik, 1850, No. 2 et 26.



mo articulari acuto affectis; his certe levamen et somnum placidum affert, dummodo satis magnae administrantur doses; parcae enim et refractae doses excitante magis gaudent virtute, quibus aegrotantes in somnolentiam inquietam incidunt, ex qua post breve temporis intervallum exsultant, ita ut levem somnum atrocissimi saepe sequantur dolores.

*b. Aconitum.* — Hoc in rheumatismo articulari chronico saepius quam in acuto adhibetur, et quidem ideo quod sanguinis circuitum incitare dicatur; sunt tamen, qui vim illam incitantem negantes aconiti magnas doses in acuta morbi specie etiam administraverint (STOERK).

LOMBARDUS inter alia extractum aconiti alcoholicum (gr. vi - dr  $\beta$  intra nycthemerum) uti specificum remedium in acuto articularum rheumatismo commendavit. Casus mihi innotuit in quo quinque granorum extr. acon. singulis diebus administrationem in rheumatismo chronico vertigines, cephalaea vehemens et nervi optici irritatio insequabantur, dum trium granorum de die usus protractus sensim sanationem afferebat; quod licet parum ad rem faciat, quandoquidem aeger inter irritabiliores erat recensendus, miror tamen quod dosin ad drachmam dimidiam augere et grana sex minimam dosin statuere ausi sint.

CANSTATT aconitum remedium incertum habet, quia maximae doses innocue feruntur, quod tamen medi-



caminis praeparationi vel aegri constitutioni maximam partem tribuendum videtur; ex memorato certe casu remedium non semper ita innocuum esse constat.

Aliquoties ejus administrationem in rheumatismo articulari acuto vidi, sed morbi durationem breviorē factam aut symptomata molestissima cito imminuta sub usu remedii numquam mihi observare contigit.

Magnas quidem aconiti doses celerem afferre conditionis morbosae emendationem semel mihi adspicere licuit, non tamen sine notabilis intoxicationis symptomatibus. In chronico vero articularum rheumatismo meritis celebratur encomiis.

*c. Veratrinum.* — Multum ante aliquot annos commendatus fuit externus hujus alcaloidei usus tam in acuto quam in chronico articularum rheumatismo (1); nuper autem in rheumatismi articularis acuti curatione summo opere celebratus est, atque interna ejus administratio paucis diebus morbum sanare fertur.

PIÉDAGNEL remedium in rheumatismo articulari

---

(1) De hujus medicaminis in nostro morbo usu mentionem jam factam invenimus in egregia dissertatione doct. C. C. ROËLL: *de veratrino ejusque usu medico, observationibus clinicis investigato*, 1837 p. 86.

Quinque vir doct. cum publico communicavit observationes p. 37 — 43. Uni rheumatismo affectorum remedium salutem attulit, caeteris non ita.

SCUDAMORE et TURNBULL aequae ac doct. ROËLL veratrinum unguenti forma administravere. Doct. BARDSLEY in morbis rheumaticis remedio interne usus est, non autem bono cum eventu. (Conf. J. PEREIRA: *de beginselen der Mat. Med. en der Therap. door Dr. FOCK, dl. II p. 110*).

acuto primus intus administrasse videtur, pilularum forma, quarum singulae veratrini 0,005 grm. (duodecimam circiter grani partem) continebant: mane, meridie et vespere unam tantum adhibet et sensim dosis ad decem pilulas, ideoque ad 0,05 grm. vel ad  $\frac{1}{2}$  grani partem circiter de die, auget. Quando non fertur remedium, vel narcoseos symptomata provocat, vel tractus intestinalis irritationem, uti sunt faucium et ventriculi ardores, vomitus, diarrhoea ceteraque, pro tempore ab illo abstinetur: hoc temporis intervallo balnea de aquae vaporibus aegrotanti administrantur. Numquam in hoc morbo venaesectione utitur PIÉDAGNEL. Duos tantum cum publico communicat casus, mirabili cum eventu veratrini ope curatos. In primo, ubi omnes fere affecti erant articuli, et febris ac cephalalgia vehementes erant, curae die 28 m. Aug. 1850 inceptae 4 Sept. (post sex igitur dies) finem imponebat; dolor ac tumor subsederant et die 14 m. Sept. aeger plane sanatus Nosocomium reliquit. In altero, 5 Sept. 1850 sex administrantur pilulae; abstinendum autem a remedio erat propter intoxicationis symptomata (narcosin et tractus intestinalis irritationem), quibus cessantibus melior sese habet aeger pristinaeque sensim recuperat sanitatem et post levio rem morbi regressum, 23 Sept. curatus dimittitur.

Hisce pluribusque aliis bono cum eventu peractis, PIÉDAGNEL morbum intra dierum hebdomadem per veratrinum sanari statuit.

Ex eo inde tempore multi experti sunt remedium; laudatur ab his, culpatur ab illis. Pulchriori adhuc cum eventu se illud adhibere perhibet TROUSSEAU (in nosocomio Parisiensi *Hotel-Dieu*). Administrandi rationem a PIÉDAGNEL propositam paucis tantum mutatis sequitur; primo scilicet die unam pilulam (0,005 grm) adhibet, secundo duas, tertio tres; raro dosis ad septem pilulas de die augetur. Cessantibus morbi symptomatibus, quod plerumque quarto, quinto aut sexto post inceptam curam evenit die, in dosi superioris diei consistit et pergente reconvalescentia ratione inversa dosin imminuit. Dum irritationis gastro-intestinalis symptomata sese offerunt, tum remedium tali adhibeter dosi, quali sine noxa ab aegris fertur. Quatuor refert casus TROUSSEAU (1) veratrini administratione feliciter sanatos; quos breviter enarrare hoc loco cupimus.

*Casus primus.* 18 Febr. Omnes fere articulationes, tum extremitatum superiorum tum inferiorum nec minus colli vertebrarum dolent, rubent atque tument.

Primum cordis sonum strepitus comitatur, imprimis prope valvulas semilunares aortae, in truncum hujus arteriae sese extendens quod secundum TROUSSEAU raro sese offert, affectione plerumque pro-

---

(1) Notari meretur horum casuum curam in nosocomio *Hotel-Dieu* etiam observatam esse a medicis nostratibus, doct. FABIES et ERKER, quorum ille haec de veratrino observata retulit in nostro Repertorio (6<sup>do</sup> jaargang 1853).



pe orificium, vel saepius adhuc prope valvulas mitrales obvia.

Pulsus 104 ictuum, lingua rubra, sitis intensa, ciborum appetitus deletus, non autem nausea neque vomitus, constipatio. Praescriptio: una pilula, veratrini 0,005 grm. continens, clyisma et diaeta.

19 *Febr.* Aeger paulo melius sese habet; plane fere disparuere sinistri genu, aequae ac utriusque articulationis tibio-tarsalis intumescencia, ceteri articuli ut heri, idem strepitus, lingua rubens, sitis vehemens, cephalalgia, nulla vomendi conamina, duae administrantur pilulae, eademque jubetur diaeta.

20 *Febr.* Pedum ac genuum articulationes a dolore liberae; doloris, ruboris ac tumoris decrementum in ceteris articulis affectis; idem cordis strepitus, pulsus 80 ictuum. Tres adhibentur pilulae.

21 *Febr.* Articulorum sanatorum affectio non rediit, manus vero sinistrae; cubiti et humeri articulationes paulisper adhuc sunt correptae. Sonus cordis normalis factus; pulsus 60 ictuum. Die superiori vomituritio, dolores colici et diarrhoea, tres ergo administrantur pilulae et duo ita dicti »*potages gras.*»

22 *Febr.* Manus dextrae, cubiti et humeri articuli sanati, evanuit tumor, rubor et dolor. Levis denuo strepitus; 42 ictuum pulsus.

Diebus insequentibus bona perstat valetudo; morborum nihil in articulis superest, cordis primus sonus pedetentim clarior fit. Imminuitur veratrini dosis,



dum die 1 Mart. remedium seponitur. Per 14 deinceps dies reconvalescens in nosocomio retinetur, ut bonae valetudinis perduratio confirmaretur.

*Casus secundus.* Aeger per quinque jam dies morbum passus, die 13 mensis Martii (*sexto a morbi invasione*) curae mandatur: plurimi affecti sunt articuli, nullus strepitus, pulsus 108. Una praescribitur veratrini pilula et diaeta.

Usque ad 17<sup>um</sup> ejusdem mensis in eadem conditione permanet aeger; pilularum numerus ad quatuor augetur, pulsu sensim ad 84 imminente: haec pulsuum frequentiae imminutio universalis conditionis emendatione stipata, animadvertente TROUSSEAU bonum signum est habendum, quandoquidem emendationem in articulis praecedere solet. Haecce 18 Mart. etiam sese ostendit, quo die quinque adhibentur pilulae.

19 Martii. Jam fere sanatum aeger se putat; pulsus 65, denuo quinque adhibentur pilulae, quas irritationis gastro-intestinalis symptomata, veratrini usum protractum vetantia, insequuntur; quo facto 23 Mart. denuo quidam corripuntur articuli, quatuor pilularum administrationem postulantes.

24 Mart. Multum denuo emendata est conditio, alvus aliquantulum liquida est; quatuor adhibentur pilulae. Diebus insequentibus bona pergit valetudo; 27 Mart. omnia affectionis articularis vestigia evanescere. Veratrini dosis lente imminuitur,

*Casus tertius.* Die 21 m. Martii 1853 curae sub-  
jicitur aeger; die post primam dosin assumptam  
multo melius sese habet et die 24<sup>o</sup> plane a dolore  
liberatus est. Sub usu remedii protracto semper  
pergit bona valetudo.

*Casus quartus.* Aeger die 22 mensis Martii curae  
mandatur; multae correptae sunt articulationes, pri-  
mus cordis sonus strepitu stipatur. Pulsus 102  
ictuum est.

23 Martii et diebus insequentibus lenta conditi-  
onis emendatio, licet nonnulla obvia sint irritationis  
gastro-intestinalis symptomata; pulsus 66.

27 Martii. Quaedam tantum superest digiti indi-  
cis et pollicis sinistri intumescencia; quinque admi-  
nistrantur pilulae.

28 et 29 Martii. Cordis articularumque affectio  
plane evanuit. Veratrini dosis sensim imminuitur.

Relati casus maximi profecto momenti habendi sunt  
proque remedii efficacia omnino militari videntur.  
Primae observationis aeger, jam post tres dies, sta-  
dium convalescentiae intravit, quod itidem in tertia  
et quarta observatione obtinuit. In secunda, reme-  
dio per sex dierum spatium administrato, fere plenaria  
secuta est sanatio; in hac quoque notandum morbum  
subito resurgere, quum propter symptomata veratrini  
usu protracto excitata ab ejus administratione desisti

deberet. Pulcher profecto effectus dicendus, quod ad morbi durationem attinet!

Memorandum porro pulsum gradatim et constanter sub usu remedii decrevisse.

Cordis tandem affectiones haec curandi ratio minime promovere videtur, potius contrarium obtinuit; in duobus enim e quatuor relatis casibus cordis affectio ante institutam curam exsistebat et una cum morbo evanuit.

Doct. BOUCHUR decimam grani partem opio junctam de die administrat et ad unum, si opus est, granum dosin auget; morbo decresciente sensim etiam illam imminuit. Secundo jam die notabile febris decrementum observavit decrevitque aliquando pulsus ab 120 ad 64, brevi post sensim cessere dolores. Saepe post largam veratrini administrationem orta vomitus ac diarrhoea remedii doses imminuere jubent. Secundum eum cutis secretionem veratrinum perquam promovet.

Doct. ARAN exiguum tantum veratrino tribuit actionem. Duos enarrat casus (1), in quorum altero, veratrino incassum administrato, sulphatis chinini usus sanationem mox attulit. Egregie suadet autem si bonos non edat effectus remedium, numquam ultra 3—4 dies ejus usum protrahere.

Quamvis e paucis quae retulimus non, quod veratrinum valeat, satis constet, prudenter tamen (reme-

---

(1) Bull. de Thérap. Nov. 1853.



dii enim quarta grani pars secundum TURNBULL jam homini nocere potest) et cum judicio periculum cum eo faciendum esse existimo.

Pulsuum frequentiae atque caloris animalis decrementum attentione omnino digna sunt, qualis vis magis adhuc probatur casu in clinico ROSTANII observato; in hoc scilicet remedii dosin sensim augendo ( $\frac{1}{2}$  - 2 ctgrm), die quinto pulsuum frequentia subito est imminuta a 80 ictibus ad 40 atque ad octavum usque diem immutata permansit. Ex virtute ista deprimente veratrini actionem in rheumatismo articulari acuto repetivere, quare in aliis quoque morbis febrilibus in pneumonia v. c. aliisque ARAN illud commendat.

In omni casu cavendum ne vitae nerveae depressio sive directa illa, sive profusarum evacuationum a veratrino provocatarum sequela, graves complicationes suscitet, in hoc morbo utique metuendas.

§ 5.

COLCHICUM.

Nullum antirheumaticum quod vocant laudes majores nactum est quam colchicum autumnale et ejus praeparata, sique effectus spectemus, quos peritissimi, maximeque fidei in Anglia et Germania medici ab illo viderint, profecto hujus medicaminis celebratas vires



in aegrotis periclitari animus ferret. Antiquis jam nomine *Hermodytyli* notum erat. AVICENNA verosimiliter propter vim rheumati atque arthritidi oppositam *Animam articulorum* illud vocavit. Dein vero invictis encomiis WEDELII, STOERKII atque EHRMANNII, etsi HOMII auctoritate in pharmacopaeam Londinensem receptum fuerit, prorsus fere obsolevit, donec a doct. WILLIAMS in lucem iterum revocatum, magnas de novo apud Anglos laudes assecutum sit.

Neque minori cum eventu SCUDAMORE, SCHOENLEIN et EISENMANN eo usi esse videntur. Hic nempe in opere suo laudatissimo (*Die Krankheitsfamilie Rheuma*) inter alia memoratu dignissima vini seminum colchici cum opio connubii luculenter virtutem demonstravit. Secundum eum, cujusvis sive organi sive telae rheumaticae affectioni validissime medetur colchicum alterante virtute praeditum. Virtutis medicatricis ratione habita in corpus sanum vim toxicam habere nemo mirabitur. Antiqui jam venenum acre et narcoticum habuere, cujus modo una, modo altera virtus in lucem prodit, quod e loci diversitate, ex anni quo colligitur tempore, nec minori ut mihi videtur probabilitate ex aegri constitutione repetiverunt.

Quoad virtutem acrem majori dosi mucosam gastro-intestinalem irritat, diarrhoeam, alvum quoque sanguinolentam, ventris tormina, nauseam, vomitum producit, quibus aucta systematis uropoietici actio accedere solet, id, quod non omnes as-

sentiunt; urei tandem atque acidi urici in urina copiam adauget, iique cum scilla communis est pulsum numerum imminuendi virtus. Narcoticam vim in cerebrum habet, excitationem mentalem, agrypniam, statum quasi crapulosum, delirium mite aut ferox oculis splendentibus et rubescentibus, producit. In eam nempe cerebri partem, e qua nervi optici originem ducunt, agere videtur: multi enim visionis turbas transeuntes, imprimis oxyopiam cum insequente amblyopia post colchicum assumptum observavere.

SCHOENLEIN mentis alienationes exinde ortas saepius vidit easque frequentiores, quo in tractum intestinalem minus conspicua actio fuerit. Casum affert juvenis 20 annorum quem rheumatismo acuto affectum, postquam per quatrimum vinum seminum colchici modica dosi assumpserat, delirium ferocissimum absque vel minimo febris vestigio aggrediebatur. Sposito colchico per 48 horas symptomata perstiterunt, donec opium propinatum somnum attulerit, e quo sanus evigilabat. Ex hoc liquet caute cum illo medicamine esse mercandum.

Semina, ut videtur, tutissime adhibentur, cum melius maturescant atque facilius asserventur; praecipua ejus principia sunt: *colchicinum*, cui inprimis, ut ajunt, medicaminis actio debetur, atque *veratrinum*, quod perperam cum priore PELLETIER et CAVENROU identicum habuerunt. Hoc principium fortasse

veratrinī qua talis in nostro morbo administrationis nuper causa fuit. Praeparatum nobis usitatissimum vinum horum seminum est: EISENMANN tincturam opii addendam ducit, sequentem formulam praescribere solet:

R. Vin sem. colch. dr. III,

Tinct. opii crocat. dr. β.

M.

d. s. Omni hora 3<sup>a</sup> vel 4<sup>a</sup> gutt. 10 — 30.

Asseverat EISENMANN actionem colchici nocivam opio praeverti, mucosae nempe irritationem atque cerebri narcosin; ideo scilicet maximi hocce connubium momenti esse, quod colchicum, diarrhoeam suscitans rheumati non amplius medetur; cum opii conjuncti tutior majorum dosium administratio, imo ipsius medicaminis virtus augeri quoque videtur.

Apparet actio secundum EISENMANN jam 2<sup>a</sup> vel 3<sup>a</sup> hora post primam vel secundam assumptam dosin, sique intra 12 horarum spatium levamen non attulerit vel nimis paucam dosin vel conditionem organismi medicamini minus aptam accusat. Colchici tandem cum aliis quoque connubio locus dari potest. (1)

Quod multis in casibus parum vel nihil juverit et ideo specificum antirheumaticum dici nequeat, colchici laudatoribus plures objecerunt. At quaestio

---

(1) Schmidt's Jahrb. 1843. Bd. 37. Beiträge zur Lehre der alterirenden oder umstimmenden Heilmethode.



hic oritur nonne rheuma cum arthritide confuderint, in quam profecto colchicum parum valet. Ipsius denique plantae pro loco, proque anni tempore diversa virtus est (vernali enim tempore major quam autumnali esse videtur). Inepta tandem, atque parciorum dosium ob metum intoxicationis, quam tamen praeverttere non potuere, administratio hisce forsitan accessit.

Multi porro EISENMANNII effato colchicum nempe tunc quum diarrhoeam suscitet, vim suam antirheumaticam amittere sese opponunt et pro sua afferunt opinionem optimos remedium edidisse effectus, quum abundantem diuresin aut alvum copiosam et liquidam produxisset. Colchicum denique metastasibus in cor aliaque organa interna favere perperam nobis assumptum esse videtur.

Si colchicum adhibere volumus imprimis quaestio sese nobis offert utrum in febrili morbi specie, an febre demum antiphlogosi debellata eo uti liceat. Quam plurimi, Angli imprimis, non necesse duxerunt antiphlogosin, Germanorum multi non omittendam esse censuerunt. EISENMANN plerumque statim colchicum propinat in pleuritide quoque rheumatica aliisque. Cauta tamen therapia non ad methodum sed ad individuum potius medendi consilium adaptat, quare in homine plethorico ac robusto cum antiphlogistica cura ordiamur, quae in casu colchici actionem adjuvat, minus autem in debilibus, exsanguibus.

Casus in quibus colchici actionem in rheumatis-



num articulorum observare mihi contigit, numero pauciores sunt atque minoris momenti; quare, ne longus sim, a singulis enumerandis abstinebo. Ex iis tamen nec minus ex Virorum in patria nostra maxime de medicina meritorum experientia, haec saltem concludere mihi liceat:

1° Colchicum esse efficacissimum antirheumaticum, nec tamen (quod de quovis medicamine valet) novos morbi insultus praevertere.

2° Caute cum eo mercandum esse in morbo febre stipato.

3° Opii cum colchico connubium tutius atque certius agere quam solum colchicum.

4° Opium vim colchici nocivam in tractum intestinalem praevertere, saltem imminuere.

5° Colchicum solum vulgo molestias provocare, quod tamen maximam partem pendet ab aegri constitutione.

6° Colchicum tandem, si diarrhoeam suscitet, non amplius in rheuma agere, et in tali casu ab eo esse abstinendum.

§ 6.

CHININUM SULPHURICUM.

Quum jam antea medici Anglici, HAYGARTH imprimis, corticem Peruvianum tamquam antirheumati-

cum specificum valdopere commendavere, ultimis temporibus chininum sulphuricum plurimos fautores habuit. Enormes hujus remedii doses Gallo-Franci dare solent, quibus scilicet intra aliquot dierum spatium morbo mederetur. GUÉRARD in rheumatismo articulari acuto, imo quidem cum endocarditide complicato, nullum aliud remedium praeter chininum praescribit ad drachmam dimidiam de die. Sex casus refert, quorum intra 4 ad 8 dies completa absque ullis sequelis nocivis, et sine ullo alio medicamine porrecto, sanatio secuta est.

BRIQUET majori adhuc chinini copia citius sanationem obtinuisse contendit; grana 40 — 60 de die interdum administrat, ita ut intra biduum vel quatrimum morbum se superasse perhibeat. Casum affert (1) rheumatismi articularis acuti hoc remedio curati, memorabilem illum, quia in hoc de homine agitur, inde a juventute tres jam morbi aggressus passo post sexennii intervalla redientes: primum corripiebatur aetatis anno 17<sup>o</sup>, dein 23<sup>o</sup>, postea 29<sup>o</sup>. Primus morbi insultus, in quo expectativa fuerat cura, per sex menses duraverat; secundus et tertius, largis venae sectionibus debellati, singuli per mensem sua stadia absolverant. Quartus tandem morbi insultus, BRIQUETII curae mandatus et per mensem jam durans, licet vehementissimus, intra quatrimum tamen sola

(1) Ann. de Therap. Dec. 1846.

Schm. Jahrb. 1847. Bd 55.

chinini administratione frangebatur; reconvalescentiae stadium ad nonum usque curae diem protrahabatur. Primo quadriduo usus est aeger remedii graminis 82, in altero gr. 64, summa gr. 164, (in genere igitur gr. 18 de die) absque aurium tinnitu, cephalalgia aliisque affectionis cerebri symptomatibus. Pulsuum frequentia sub usu remedii ex ordine decrevit ab 126 ad 108, 96, 80, 70, 60 ictus et illo seposito ad normam (74) reducta inventa est.

Ex quo constare videtur chininum vi gaudere temperante in cordis arteriarumque actionem. Accommodanda est dosis, secundum BRIQUET, aegrotantis constitutioni; et meningum inflammatio, aliquando obvia, fortuitum tantum habendum esset symptoma, chinini sulphurici ergo administratione non productum! In cerebro caeterum primum vim excitantem, deinde priorem exerceret remedium.

Spirituosis dediti illud optime ferunt. Memorandum etiam minorem esse ipsius efficaciam in rheumatismo, unum tantum articulum infestante; rheumaticae nempe affectiones universales, acutae, febriles ab ipso optimo sanantur.

LEGROUX minores doses administrat, scil. gr. 16 — 24, numquam tamen 32 gr. dosin intra nycthemerum superat, numquam intoxicationem inde ortam se observasse asseverat, pulsuum frequentiam e contra minorem fieri, imo minorem quam normae par



est. Cutis calor, congestiones et dolor subsederunt paucisque diebus sanatio est secuta.

Memorat (1) viginti quatuor casus in nosocomio Hotel-Dieu observatos, bono cum eventu per chininum sulphuricum curatos, quorum ne longus sim, praecipuum tantum enumerabo.

In primo nempe casu aeger magnis chinini dosibus intra dierum hebdomadem sanatus est. In secundo ancilla 24 annorum, antea sana (cui ob amenorrhœam 20 Nov. cum levamine vena secata erat) 25 Nov. curae traditur. Magnae chinini doses pulsum parvum ac depressum reddunt aliaque chinino propria producunt symptomata, simul autem morbum emendant. Levis cordis affectio sese offert. Die 29 Nov. plane liberae sunt articulationes (immutata erat remedii dosis), pulsus autem parvus adhuc et strepitus a pericarditide repetendus etiamnunc aderat. Seponitur chininum ob conditionem aegri emendatam. Curae non tribuit LEGROUX pericarditidem, quippe quam raro observavit, sed diathesi rheumaticae. Pericarditidis cura per vesicatoria usque ad 24 Dec. protrahebatur. Chininum ergo per quinque tantum dierum spatium bono cum eventu administrabatur, dum totius morbi duratio 19 dierum erat. Verbo in plurimis casibus, secundum eum Auctorem, morbus paucis diebus chinino cedit.

---

(1) Journ. de Méd. Janv. et Févr. 1845.



In quibusdam una pluresve institutae sunt venae-sectiones, ut sanguinis per chininum mutatio eruere-tur. In casu nempe vicesimo quarto ter vena seca-ta est, ut sanguis indagationi chemicae submittere-tur, ex qua fibrini abundantia ante curam institutam prodibat, quae intra 48 horarum spatium adhuc au-gebatur, post quatuor vero dierum curam ad tertiam usque partem imminuebatur. Globuli sanguinis e contra durante cura increscere videbantur. In his casibus curae per chininum duratio in genere 7, to-tius vero morbi 17—18 dierum erat.

De 24 aegris quinque tantum morbi leviores regres-sus passi sunt, septem cordis affectione, quorum autem sex jam ante institutam curam, corripiebantur; melior igitur haec ratio quam cura antiphlogistica secuta.

Ex hisce tandem LEGROUX inter alia sequentia de-ducit: 1<sup>o</sup> agere chininum in praecipuam diathesis rheumaticae causam, fibrini nempe in sanguine abun-dantiam; 2<sup>o</sup> vi circulationem temperante maxime gaude-re; 3<sup>o</sup> efficax esse remedium adversus rheumatismum articulare acutum, quo symptomata mitigantur, bre-vior fit duratio cordisque affectiones saepius quam aliis remediis praevertuntur.

Minus autem chinini laudem confirmant duodecim rheumatismi articularis casus, quos doct. SALMON cum publico communicavit (1), quorum brevis con-spectus in sequentibus:

---

(1) Gaz. des Hop. Dec. 10, 24, 29, 1842.

In primo casu articularum rheumatica affectio vehemens, primum cordis sonum strepitus comitatur; chinini sulphurici dr. i, dein gr. xlv, tandem dr.  $\beta$  adhibetur. Post sex dierum spatium sanatio obtinuit.

In secundo casu multi correpti erant articuli, aderant cordis strepitus, dolor in regione cordis et dyspnoea. Articularum, non autem cordis affectio chinino emendabatur. Morbus regressum faciebat, chinino ac cataplasmatibus cum laudano denuo cedentem. Aeger 9 Nov. receptus 6 Dec. nosocomium relinquebat.

In tertio casu morbus in initio chinino emendatus est, dolores autem iterum redeunt remedio non cedebant, quod itidem in quarto casu. In quinto chininum sanationem non attulit, in sexto conditionis emendationem, non autem sanationem; in septimo casu et in octavo eundem quam in tertio habuit effectum; in nono dolores cito mitigati mox redeunt; in decimo subitam sanationem aequae subitus morbi regressus insequitur; in undecimo symptomata physiologica maxime intensa observantur cum dolorum decremento, postea autem morbus regreditur; in duodecimo tandem casu nulla omnino per remedium emendatio, in pejus e contra malum ruit.

Ex hisce patet medicamen illud magna dosi propinatum non tanta vi gaudere; plurimos novos accessus morbi durationem protraxisse; in uno tantum casu post sex dies sanationem obtinuisse, semel etiam ma-

lum in pejus ruisse. Tandem vero SALMON opinatur chininum, postquam inceperat reconvalescentia, nimis cito fuisse sepositum.

Doct. CASANOVA (1) optimo cum successu bis chininum adhibuit a scr. i — dr. i, in aliis vero (quos quidem non hujus loci esse existimo, cum ad rheumatismum muscularem pertineant) auctum malum est, accedentibus symptomatibus cerebralibus. Patet itaque, quod et alii jam sunt professi, chinini sulphurici majorem esse virtutem in rheumatismo articularum debellando, quam in eo qui musculos tenet.

GEO. L. UPSHUR, medicus Americanus, duodecim casus cum publico communicavit (2), quorum sex bono cum eventu chinini sulphurici ope tractavit; cum tamen alia simul remedia adhibuerit, haud scio an exinde morbi duratio, quod ad sanationem attinet chinino allatam, in genere sit efficienda? Initium tandem reconvalescentiae a primis inde melioris conditionis signis computat. Morbi remediis suis laudatis tractati durationem quinque dierum et dimidii in genere esse ponit; longissimam durationem 14, brevissimam autem duorum dierum. Sedans utique illud habet, ideoque in stadio febrili quoque adhibendum. Post venaesectionem pro re nata institutam, vel catharsi fortiori producta olei crotonis ope, cui specificam fere in hoc

---

(1) Schmidt's Jahrb. 1845. Bd. 46.

(2) Revue médico-chirurg. de Paris, Févr. 1852.



morbo virtutem vindicat, optimos de eo successus obtinuit. Adultis grana 10, ter quaterve de die administrat, minores autem doses plus nocere quam prodesse credit. Imprimis secundum eum indicatur ubi sudor copiosus erumpit.

An ex paucis hisce datis de remedio rejiciendo vel commendando iudicium ferre liceat dubito. Scopum quamvis nonnumquam fefellerit, si relatis fides habenda interdum quoque profuit et itaque tentari meretur.

Rationi congruum non esse vix dicere ausim, pleurumque enim affectiones rheumaticae acutae decursum quodammodo typicum habent, cum remissione et exacerbatione, qualibus chininum opponi solet.

Dosium enormitas forsitan causa fuit, quare non saepius a nostratibus adhibitum sit, qui remedium minori dosi propinantes, cum nullo salutari effectu illud praescripserint. Dosin ad aegri constitutionem accommodatam commendarem, plethorici autem et quibus ad congestionem cerebralem est proclivitas caute huic curae submittantur, ne cerebri affectiones oriantur in inflammationem abeuntes (1)

Maxime conveniet in lymphaticis, anaemicis, debilibus apud nos perquam frequentibus. Si vero tanta requiritur chinini dosis ut vera intoxicatio

---

(1) Meningitidem ex assumpto chinino pauci ortam videre, imo multi plane negant.



oriatur sique adeo tamquam narcoticum solummodo prodest, quaeritur nonne aliis narcoticis minus nocivis et vilioris pretii, quorum in nostro morbo utilitatem experientia comprobavit, commode posset excipi.

§ 7.

VESICANTIA AMBULANTIA.

Haec curandi methodus a doct. DECHILLY in actis Academiae Parisiensis valdopere commendata est; hanc methodum prae omnibus aliis adhibendam censet, quatuordecim nitens observationibus, quarum amplius quatuor refert. (1)

Pro re nata vena prius secanda est, dein ordine quo afficiuntur articulationes vesicantibus plane obteguntur, quo facto die insequenti jam tumorem collapsum, dolorem insigniter imminutum esse, calorem cutis in plerisque casibus subsedisse observabat. Vesicans tamen per aliquod tempus applicatum fuisse oportet, ut bulla permagna formetur, quae deinceps exsiccetur. Articulationes plane vesicantibus obtegi necesse praeterea judicat, quum symptomata ex ipsius experientia iis locis praecipue perstent, qui vesicantibus non tecti sint.

---

(1) Bull. de l'Acad. Tome XV. N° 15—19. 1850.

Systemati uro-genitali non nocebant vesicantia, in uno casu e contra proderant, simulac cutis irritatio sese manifestare inceperat.

Per quatuordecim in genere dies sub illa medicatione morbus perstabat.

Incognitum mihi num experimenta cum illis vesicantibus (illisque solis) continuaverint vel ab aliis illa repetita sint: conclusiones igitur a posteriori, hoc casu maxime valentes, deducere difficillimum; mihi tamen a priori videtur, morbum nimis et minus recte processum localem esse habitum; vehementia reactionis symptomata, saepe observata, vesicantibus certe quidem non cedent. Instituta venaesectione vel fracta vi morbi illa valde prodesse posse experientia docuit.

Idem iudicium de chloridi formyli applicatione, a doct. ARAN commendata (1), ferendum. Aqua tepida madefactum linteum articulationibus applicat, cui chloridi formyli tres drachmas inspergit. Madida illa lintea siccis obteguntur et omnia una fascia conjunguntur. Haec methodus nihil aliud efficere potest quam localem simulque momentaneam anaesthesiam. De caeterorum medicaminum topicorum in nostro morbo administratione, eadem fortasse valent quae antea de depletionibus localibus, in hocce morbo adhibitis, dicta sunt.

---

(1) Bull. génér. de Thér. 15 Nov. 1850.

§ 8.

HYDROTHERAPIA.

Aqua frigida inter efficacissima profecto recenseri meretur agentia, quae cutis functionem excitent, quare mirum videri non potest, et universalem et localem applicationem multos adhibuisse in morbo, cujus inter causas praecipuas cutis functio leasa habetur. Haecenus pluries, idque optimo ut videtur cum successu, eam applicuere in rheumatismo musculari imprimis chronico, quam in rheumatismo articulari. Aquam tamen in rheumatismo quoque articulorum prodesse posse, casus probat quem doct. WEATHERHEAD memorat (1).

Juvenis, 23 annorum, die 15 Aprilis ejus curae mandabatur, rheumatismum patiens articulorum generalem, adeo vehementem ut nullum attactum ferret. Ante 16 menses similem accessum erat passus, qui brevi cor aggressus erat, quemque depletionibus in regione cordis, fonticulo per 13 septimanas suppurante, mercurialibus tandem ad ptyalismum usque porrectis morbi que durationem ideo protrahentibus, tractaverunt. Aegrum visit jam per octo dies morbo

---

(1) Med. Times. 240. 1844.

afflictum. Dato cathartico, articulis duobus epithematata de aqua frigida imponebantur, pannis de lana exacte superimpositis, quae cum levamen afferrent, caeteris quoque articulis applicari jussit. Denique tertia quoque hora remedium temperans aeger assumpsit. Et quidem epithematum actio ex ipsius aegri dictis talis erat, ut scilicet algorem, per duas tresve minutas praesentem, caloris sensus sequeretur, in sudorem profusum, ab articulis in reliquum corpus dispersum, abiens. Post semihoram insigni levamine, post triduum autem omni fere dolore sublato aeger gaudebat. Urina crassa erat et turbida, quare carbonas sodae (dr. i ad aquae unc. viii) ei administrabatur, pergebat interea in epithematibus frigidis applicandis. Vicesimo secundo mensis Aprilis die, i. e. septimanam post curam inceptam atque duas septimanas post morbi aggressum, sanitas restituta erat, leviori genu dolore excepto.

Hance methodum si cum cura superioris morbi insultus conferimus, utra praefenda sit, non dubium erit.

Generalem tandem aquae frigidae applicationem secundum PRIESNITZII methodum tentavere, qua, uti ferunt, intra biduum triduumve morbum sanaverint. Doct. PIUTTI duos casus, huc spectantes, refert.

Uberior tantum observatio, cui in quovis nosocomio bene instaurato locus datur, balneorum, et ge-



neralium et localium, varios tandem pro vario applicationis modo effectus monstrabit. Neque rationi impugnare methodus dici potest; aquae tamen frigidae in cutem actio secundaria cum epispasticorum atque revellentium agendi ratione quodammodo sit aequanda; addendum quoque balnea tepida, docente experientia, longe plus prodesse in rheumatismo musculari acuto quam in articulari, in quo, si intensa febre stipatur, non raro plus nocent quam prosunt; mitigatis vero symptomatibus balnea egregium adjuvans efficiunt.

§ 9.

ALIA REMEDIA IN NOSTRO MORBO COMMENDATA.

Bene multa alia remedia ab artis peritis in nostro morbo commendata sunt. Videamus de nonnullis.

*Diaphoretica.* — Ratione habita causae occasionalis omnium frequentissimae, non mirum est, effectus maxime salutare ab usu remediorum diaphoresin promoventium semper exspectatos fuisse. In proveciori morbi stadio utilia esse poterunt; in priori vero ea non adhibenda videntur, quandoquidem hoc tempore ut plurimum profuse sudent aegrotantes, absque ullo levamine et cum notabili aliquando symptomatum incremento; hac quidem ratione morbi duratio prolongari posset; ne dicam de exanthemate miliari saepe observato et aliquando

funesto et de cutis atonia plerumque diaphoreticorum adhibitionem secuta.

*Purgantia.* — Haec remedia in genere minus commendanda videntur, et tunc tantum indicata esse, quum gastrica adsit complicatio.

Abhorrens ab remediorum cognitorum enumeratione, huic finem inponerem, nisi brevis mentio facienda mihi videretur de succo citri (dr.  $\beta$  - 1 ter de die administrato cum saccharo ad libitum) nuper multum commendato, cujus actionem explicare conati sunt uratum oxydatione in sanguine retentorum.

---

§ 10.

CONCLUSIO.

Hanc nostram qualemcumque variarum, quibus morbum debellare solent, methodorum expositionem si quis accurate perlegerit, haud sane mirabitur, nos in ultima hujus speciminis parte, therapeuticas nonnullas conclusiones exhibente, conscribenda esse breviores.

Et vero scripta, quibus in parte therapeutica elaboranda usus sum, perlustrans, verum sequens CANSTATTII effatum mihi visum est: »*Was die Therapie betrifft, so hat die Erfahrung, auf die sich ein Jeder berufen zu können glaubt, noch zu sehr den*

*Charakter einer Lustdirne, die Jedem zu gefallen sucht, und hat sich noch nicht unbedingten Glaubens und Vertrauens würdig gezeigt.*” Quos enim legi casus morbi ostendebant quidem plerique felices methodi alicujus aut remedii effectus, quum morbus remedio adhibito cessaret; sed licet vis illa medica acriori contradictioni numquam fuerit obnoxia, effectus tamen numquam efficere potuit ut de sanationis causa nullum dubium superesset; quum contra saepius rem male intellectam esse constet.

Quam exigua autem hac in re BOULLAUDII methodo auctoritas sit tribuenda, non est quod hoc loco repetemus. *Salina* et *metallica* raro omnibus aliis sepositis, plerumque tamquam adjuvantia methodi antiphlogisticae adhibita sunt; dum magnae *tartari emetici* doses saepius exiguos ediderint effectus.

Inter omnia quae mihi de cura narcotica innotuerunt remedia, imprimis recensendum est *veratrinum*, nostris temporibus maxime pervulgatum, quod vim omnino salutarem habere morbumque breviorum facere vulgo dicitur; sed ut omittam periculum, cui aeger, hoc remedio sumpto, exponitur, unice tantum a medicis Gallo-Francis commendatum est, quorum temperamentum sanguineum in communicandis observationibus therapeuticis ut plurimum aliquid efficere solet. *Opium* jam *a priori*, quippe remedium symptomaticum, sine dubio commendandum mihi videtur. Quum vero, si salutarem editurum sit effectum, majori dosi adhibendum sit re-



medium, practici haud pauci ab eo abstinebuntur.

*Aconitum*, invito magno laudatorum numero, universe minus satisfecit, *Colchicum*, si tamquam remedium empiricum et sub quadam conditione adhibeatur (vide pag. 66), magis commendandum videtur.

*Chinini* virtutem specificam multae accurataeque observationes confirmant, aliae contra denegant. Quaestio autem, quatenus rheumatismus articularis acutus typicam interdum referat indolem hoc loco sponte oritur.

Sententias igitur de remediorum effectibus in hoc morbo cernimus sibi invicem oppositas, quarum therapia (licet universe tristissimum offerat adspectum) pauca tantum exempla praebet; quae repugnantia non spectat diversam tantum rationem adhibendorum quorundam parvi momenti remediorum, verum etiam ad applicationem sese extendit remediorum, maxime heroicorum horrendaque dosi administratorum.

Et tamen omnes illae methodi adeo discrepantes, fundamento rationali infirmissimo nixae, calculis probantur et miracula fecisse perhibentur! Filum igitur invenire, quo se expediat ex hoc labyrintho, difficilimum est novitio, cui propria deest experientia.

Therapeuticis tamen conclusionibus promissis, quantumvis imperfectis, afferendis huic specimini finem imponendam censui.

Methodicus usus narcoticorum, vel potius universe eorum antirheumaticorum, quae magis directe in sys-



tema nervosum vim suam exercent, praefendus mihi videtur methodo stricte antiphlogisticae vel alteranti. Bonos eorum effectus non tantum multi casus morbi probant (morbum enim breviorum reddere videntur), verum quaecumque eorum pertinent ad narcotica stricte sic dicta, eo praeterea commodo gaudent, quod dolore diminuendo, inde orta reflexionis phaenomena si non prohibent saltem multum levant. Rationale insuper argumentum petimus e sententia rheumatismum articulare acutum originem suam duxisse ex medullae spinalis irritatione, suppressae cutis perspirationis sequela, quae sententia therapeutica etiam ratione confirmaretur.

Quodsi igitur in morbo curando heroicum quoddam adhibere vellem, e classe potissimum narcoticorum illud sumerem; quod tamen ita accipi nolim, quasi veram curandi rationem in methodico hujus illiusve heroici remedii usu quaerendam esse censeam. Noster enim morbus ad eos pertinere videtur, qui definitum habent decursum, quem neque sistere nec breviorum reddere possumus, qui decursus varius est pro varia indole et vehementia febris et affectionis localis; illa si nimia non est, neque organon internum affectum est, in casibus nempe levioribus, methodum expectativam adhibendam esse sponte apparet; sin acutior est morbus, affectum organon nobilium, symptomata vehementiora, heroicis vulgo remediis (*Saignées coup sur coup*, *veratrinum*, aliisque) processum morbosum reprimere conantur, quorum remediorum

vis in illum decursum ignoratur, uti quoque facultas abrumpendi incerta, quae tamen organismo maxime nocere posse extra omne dubium est. Haec autem agendi ratio me iudice valde improbanda est.

Eorum potius sententiae subscriberem, qui etiam in casibus gravioribus morbi decursum non reprimendum, symptomata impugnanda iis remediis, quae therapia generalis offert, complicationes praesertim cum cordis et cerebri affectionibus pro indole cum *ἐνεργεία* tractandas censent. Quae expectativo-symptomata agendi ratio mihi quidem in ea, quae hodie therapeuticae scientiae est conditio, sola esse videtur, quam merito rationalem appellare possimus.

## THESES.

---

### I.

Quae praxis in nosocomiis docet non ejusdem applicationis sunt in praxin civilem.

### II.

Methodus numerica in medicina in genere fallax.

### III.

Chloruretum sodii ex more potius quam ex ratione nutrimentis addimus.

### IV.

Saccharum in excretionibus diabeticorum ex solis amylaceis originem non trahit.

### V.

Rheumatismi naturam ad neurosin accedere verosimile est.

### VI.

Egregia medicaminum divisio a Cl. J. CLARUS

proposita in medicamina organismo propria et aliena (Ersatzmittel des Organismus und Hilfsmittel der organischen Plastik).

VII.

Phosphas calcis in quibusdam morbis lacte excipitur nequit.

VIII.

Multa remedia adversus taeniam commendata efficaciora essent, si apta cura praeparatoria instituta esset.

IX.

Pancreatis morbi nullis functionis laesae symptomatibus dignosci possunt.

X.

Non facio cum Cotton examen microscopicum in phthisi pulmonali nullius fere pretii habente.

XI.

Delirium tremens hydrati oxydi amyli (*foesel-olie*) potius quam alcoholi tribuendum videtur.

XII.

Diaeta parca in multis icteri chronici casibus reprobanda.

XIII.

In intoxicatione per acidum arsenicosum hydras magneticus saepe praestat hydrati bi-ferrico.

XIV.

Ceux qui, à l'aide de médicaments, prétendent faire cesser une attaque d'éclampsie, ressemblent à ceux qui secouent un sablier pour hater la marche



invariable et réglée de la poussière qu'il renferme.

BOUCHUT.

XV.

Peritonitis puerperalis ex utero originem trahit.

XVI.

Abscessus per descensum, si ossis laesi minima suspicio, non aperiendi.

XVII.

Ut partus praematurus provocetur mammaram irritatio tutissima.

XVIII.

Membrarum durante partu dilaceratio saepe periculosa.

---

AAN MIJN VRIEND

C. J. P. WINKLER,

BIJ ZIJNE BEVORDERING TOT MEDICINAE DOCTOR.



Gezegend zij dees dag, die U met roem ziet kroonen: —

O, had uw eedle Vader 't uur beleefd,  
Dat U, den jongsten zijner zonen,  
Den schedel met die lauweren omgeeft,  
Waarop uw beide broeders kunnen bogen,  
En die hij zelf te Leijden heeft geplukt,  
Wat zaligheid had dan zijn ziel bewogen,  
Wat vreugd zijn hart verrukt!

Hij leeft niet meer in 't midden van de zijnen,  
De moede pelgrim eindigde den togt; —  
Het vrijheidslicht, dat hij hier schaars zag schijnen,  
Het heilig regt, waarnaar hij rustloos zocht,  
De wetenschap, zijn steun, zijn lust, zijn leven,  
Het reinst genot, dat voor den brave vliet,  
Dat alles streelt hem thans in hooger drevén,  
Van waar hij zeeg'nerd op U ziet.

Die zegen is een kracht om uwe ziel te gorden  
Bij 't opgaan van den weg, die naar den tempel leidt,  
Waar 't broos geslacht, welks priester gij zult worden,  
Genezing door uw hand verbeidt.

Zoo is dees dag een feestdag voor ons allen,  
Die 't licht der hope schenkt aan t' groen der lauwerblaên,  
En onze beê mag als een loflied schallen:

» Vind heil en zegen op uw baan! »

De rustelooze tijd voert op zijn vlugge vlerken

Dees feestdag eerlang meê; — aanvaard den wandelstaf;

U roept uw pligt tot worstelen en werken, . . . . .

Maar eerst ter beêvaart naar uw Vaders graf;

Dáár zegge een zucht, uit 's harten grond gerezen:

» Mijn Vader! ik beloof in 't plegtigst oogenblik,

» Ik wil, als gij, de vreugd der menschheid wezen

» Tot aan mijn' jongsten snik! »

A. WINKLER PRINS.